THEMATA CONCIONVM SIVE SYLVA LOCORVM IN SINGVLA EVANGELIA, QVÆ DIEBVS DOMINICIS ET SANCTORVM FESTIS in Ecclesia Dei proponi solent, continens quæstiones simplices & coniunctas in genere Didascalico: & adhortationes cum detestationibus in genere Deliberatiuo:

IN VSVM CONCIONATORVM maximè, & tyronum Theologia elaborata, & dictata quidem in scholis Theologicis ante annos 28.

A

REVERENDO ET CLARISSIMO VIRO DN. M. ANDREA PANCRATIO Ecclesiæ Curiensis olim Pastore, & scholæ ibidem inspectore fidelissimo: nunc autem post quamplurimam exoptationem primum in lucem edita ab ipsius genero SALOMONE CODOMANO Ecclesiaste Ambergensi.

Præmissa eidem est Dn. PHIL. MELANCHT. de officio concionatoris dissertatio, Anno Domini 1537. scripta.

Ad calcem adijcitur artificiosa & vtilissima, locos communes certis titulis scribendi ratio.

FRANCOFVRTI AD MOENVM.
Excudebat IOANNES SPIES. M. D. XCVII.

Joh. Conrad Caißenius D.

AMPLISSIMVS ET PRVDENTISSIMIS VIRIS, PIETATE, VIRTVTE, RERVM vsu, atque authoritate præstantibus, DOMINIS CONSVLIBVS ac SENATORIBVS inclytæ Reipublicæ AMBERGENSIS, dominis ac patronis suis reuerenter colendis. S. D.

VEram esse exclamationem D. Apostoli Pauli Rom. 11. v. 33. dicentis: *O profunditas diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei*: vt in multis alijs rebus, sic maximè in studio sacrarum literarum, comprobatur. Quòd si enim paulò diligentius, & cũ timore & inuocatione Dei, scripta Prophetica & Apostolica legimus, eaq; ruminando & meditando studiosè euoluimus, sæpe in vna sententia tantus se campus materiarum aperit, vt quid primo loco dici proferriuè debeat, ignoremus. Hinc vir ille sapiens Syr. 24. v. 38. Verbum Dei rectè assimilat fonti inexhausto, vbi inquit: *Nemo vnquam exhaurire potuit hunc sapientiæ fontem, nec*

deinceps erit, qui hanc doctrinam penitus perueſtigare poſsit. Nam cogitationes eius vberiores ſunt mari, & verba eius profundiora abyſſo. Ideo à regio Propheta Pſal. 23.2. Sacra ſcriptura confertur quoq; viridi floridoque prato, in quo innumera & omnis generis odorifera herba, & lectiſsimi flores inueniuntur, quibus mentes hominum ceu ſuaviſsimo pabulo, paſtuq; præſentiſsimo reficiuntur. Habet enim amœniſsimum hoc pratum multas ſalutares herbas, quæ corpus nutriunt, vires eius conſeruant, collapſas reparant, & priſtinæ integritati reſtituunt, hoc eſt, ſuppeditant ſacræ literæ multas neceſſarias doctrinas, quibus rudiores inſtruantur, & eſurientes iuſtitiam ſaturentur. Offeruntur præterea pro turbatis conſcientijs cõſolationes efficaciſsimæ, pro ceſſantibus in officio adhortationes & obiurgationes grauiſsimæ & maximè tempeſtiuæ.

Deinde abundat etiam hoc pratum multis venuſtiſsimis floſculis, qui viſum ſua ſpecioſa forma & egregio colore oblectant, ac cerebrũ ſuo odore fragrantiſsimo & ſuauiſsimo mirè iuuant, hoc eſt, continentur in S. ſcriptura multa ſimilia, allegoriæ, parabolæ &c. quæ

oculos

oculos & animum legentis mirifica quadam suauitate detinent ac mouent, & ingenium multis modis acuunt. Et huc spectat, quod D. Ambrosius scribit Serm. 14. Pascua, inquit, sunt libri scripturarum cœlestium, in quibus recreamur & reficimur, cùm ea, quæ scripta sunt, degustamus, vel summo ore libata ruminamus. His pascuis grex Domini saginatur. Carpis illic nouum florem, qui bonum odorem dedit resurrectionis. Carpis lilium, in quo sit splendor æternitatis. Carpis rosam, hoc est, Dominici corporis sanguinem. Pascitur os nostrum hic, cum loquimur mandata Dei verbi: pascitur oculus interior lucernæ spiritalis lumine, quæ nobis in hac mundi nocte præluceat, ne sicut in tenebris ambulantes incertis titubemus vestigijs, & viam veram inuenire nequeamus. Hoc idem quoque D. Chrysostomus innuit, Hom. 47. in Genes. vbi inter alia inquit: Non tantummodo pratum, verùm & Paradisus est diuinarum scripturarum lectio: non enim fragrantiam solùm nudam habent eius flores, sed & fructum, quo animam nutrire possint.

Et multa paucis vt comprehendam, quæ quis quærit, abundè hic inuenit, attestante D.

Augustino Tom.10.col.793.b. Nunc ergo, ait iste, festinemus caleste Manna suscipere. Istud enim Manna, prout quisq; vult, talem saporem sapit. Audi enim & Dominum dicentem his, qui accedunt ad se: Fiat tibi secundum fidem tuam, Matth.9.29. Et tu ergò, si verbum Dei, quod in Ecclesia prædicatur, tota fide, & tota deuotione suscipias, fiet tibi ipsum verbum, quodcunq; desideras. Verbi gratia, si tribularis, consolatur te dicens: Cor contritum & humiliatum Deus non despiciet. Psalm.51.v.19. Si lætaris prosperè, cumulat tibi gaudia dicens: Lætamini in Domino, & exultate iusti. Psalm.32.v.11. Si iracundus es, mitigat te dicens: Dominus sanat omnes languores tuos. Psalm.103.v.3. Si paupertate consumeris, consolatur te dicens: Dominus erigit de terra inopem, & de stercore erigit pauperem. Psalm.113.v.7. Sic ergò Manna verbi Dei reddit in ore tuo saporem, quemcunq; volueris. Quid plura? Verbum Dei equidem est thesaurus ille opulentissimus. Matth.13.52. è quo noua & vetera, hoc est, omnia ea, quæ ad salutem nostram necessaria sunt, proferre & depromere possumus. Vtrunq; enim & vetus & nouum

Biblio-

Bibliorum testamentum voluntatem Dei nobis exponit, vitæ officia docet, segnes & tardos in officio acrioribus exhortationum stimulis excitat, errores & vitia corrigit, consolationibus efficacissimis animos labascentes suffulcit & erigit, & quæ omnem ingenij captum superant, regni cœlorum & æternæ salutis mysteria pandit atq; manifestat.

Dolendum verò ac maximè deplorandum est, amœnissimum hunc Paradisi hortum sub Papatu à fœtidis porcis, ignauis scilicet Monachis, adeò esse conculcatum & vastatum. Nam, vt libri horum testantur, omnia ferè impientissimis suis commẽtis conspurcarunt, genuinum scripturæ sensum obscurarunt, veras consolationes eluserunt, & pleraq; in spinosas quæstiones, vel meras nugas transformarunt.

Nec verò mirum est, hæc sic accidisse. Postquam cultores horti huius, Episcopi videlicet, Abbates & alij præsides Ecclesiæ, cœperunt ventrem pro Deo colere 2. Pet. 3. 3. commessari, scortari &c. ac interim studiũ sanæ doctrinæ egregiè contẽnere: irruerũt in sacra Biblia ignaui & stolidi Monachi, nõ aliter ac sues in campum latè patẽtem, Psa. 80. 14. ac neglecti in

necessarijs doctrinis, quæ habuerunt noctu somnia, manè pro oraculis adfirmarunt & præditarunt, sicq; limpidissimum scripturæ fontem funditus turbarunt.

Cohorresco sanè hæc cogitans, & gratias ago æterno Patri, Domini nostri Iesu Christi maximas, quòd pro immensa sua misericordia ex densissimis Papatus tenebris nos benignè liberauit, ac ita Euangelij doctrinam, quæ superiorum temporum iniuria & infelicitate diu abscondita, & quasi sepulta fuerat, singulari consilio, & non absq; illustri suæ omnipotentiæ argumento, in lucem reuocauit: & oro toto pectore, vt is deinceps quoq; propter nominis sui gloriam, puritatem cælestis doctrinæ benignè conseruare, & Filio suo hæreditatem inter nos clementer colligere dignetur.

Ad has preces vota adiungere pij omnes ex æquo debent. Si enim præsentis seculi statum diligentius consideramus, videntur certè similes vel maiores Ecclesiæ calamitates imminere.

Licet enim hoc nostro seculo quàmplurima extent pientissimorum & clarissimorum virorum eruditissima scripta, in quibus sacra scri-

scriptura dextrè & purè explicatur, eiusq; verus vsus egregie monstratur, ac ita verissimum sit, quod Reuerendissimus pater D. D. Lutherus, piæ memoriæ, de nostri seculi felicitate solitus fuit dicere: **Die Kuhe gehet im graß biß an den bauch:** *nihilominus tamen multi hoc nostro vlcerato tempore inueniuntur, qui iam dicta orthodoxorum virorum scripta vtilissima aut negligunt, aut contemnunt, aut plane illis aduersantur. Multi discedunt & deficiunt à verbo Dei agnitaq; veritate, & aliter interpretantur scripturam, quàm ἀναλογία fidei admittit, torquentes nimirum & detorquentes sermonẽ Dei, & huc & illuc pro captu rationis humanæ veritatẽ flectentes. Inde aliæ atq; aliæ in Ecclesia disseminantur opiniones, vt labefactato fundamento à simplicitate fidei auertantur homines, & in dubitationem adducantur exitialem, quasi certi nihil sit reliquum, quo conscientia firmiter niti possit. Multi etiam contemnunt & calumniantur pios doctores & propagatores veræ doctrinæ, & (vt cum D. Augustino loquar, Tom. 2. colum. 660.) quia ipsam diuinæ scripturæ veritatem, qua vbiq; diffusa Christi Ecclesia commendatur, cri-*

minari & obscurare non possunt, homines per quos prædicatur, adducunt in odium, de quibus & fingere, quicquid in mentem venerit, audent. Vnde iam Apostolica prophetia tempus videtur instare, vbi prædicitur: Erit tempus, in quo sanam doctrinam non sustinebunt. 2. Tim. 4. 3.

Idq; hi potissimum quidem faciunt, qui præter cæteros omni diligentia, cura & studio Ecclesiam Christi ornare, veramq; religionem promouere ac propagare deberent.

Cæteri veterno quasi occupati, fastidio quodam detestando ab omni cogitatione & amore verbi se abalienari sinũt. Quanta enim in plerisq; auditoribus hac in re oscitantia & satietas, quantusq; contemtus sit, apertum & manifestum est. Alij prorsus negligunt, alij languidè curant religionem. Multi ex his fiunt Epicurei, & omnem rident religionem, ac incipiunt dubitare de Deo & doctrinæ certitudine. Et, vt vno verbo dicam, magna est leuitas, magna inconstantia, non tam vulgi quam doctorum, ventrem potius quam veritatem cælestem curantium.

Ex hisce præludijs quid tandem secuturum sit, quis non videt? Nisi Deus iram suam benigne

nignè auerterit, metuendum est, ne indies magis magisq; horribiliores in Ecclesia confusiones, & periculosissimæ opinionum dissensiones exoriantur.

Ad depellendam igitur imminentem istam Barbariem, & ad custodiendum bonum illud depositum, quod per manus clarissimorũ præceptorum nostrorum DEVS *benignè nobis contulit, omnes pro modulo suo à Domino sibi attributo & concesso, operam conferre debent.*

Hoc quoq; olim præclare præstitit Reuerendus, Clarissimus atq; eloquentissimus vir, Dominus M. ANDREAS PANCRATIVS *piæ memoriæ, Dominus socer & præceptor meus carissimus, cuius consilium & scopus in his terris hic vnicus semper fuit, omnibus de meliore vita, & sempiterna animorum salute solicitis, labore & studio suo prodesse ꝯ gnauiter, & sanctum depositum, à Deo & Præceptoribus suis sibi concreditum, religiosè custodire, & ad posteros fructuosè propagare, adeoq; de Ecclesia Christiana optime mereri: id quod testantur vtilissimæ ac sanctissimæ eius lucubrationes instar pretiosissimi thesauri nobis relictæ.*

Et

Et cùm multi etiam magni ac doctiſſimi viri iam tum iudicarint, me ad gloriam Dei & Eccleſiæ vtilitatem maximum emolumentum allaturum, ſi, quod boni omnes ſingulari deſiderio expetunt, præclara nobilis ingenij & eximiæ eloquentiæ PANCRATIANÆ *documenta publici iuris facere dignarer: non potui nec debui ipſorum iudicio & voluntati, addo etiam petitioni refragari, ſed vt hactenus pro eo, quod in me eſt, promptiſſimo Eccleſiæ inſeruiendi ſtudio, aliquos ſalutares labores Domini Soceri in lucem emiſi, ita & deinceps, Deo me bene adiuuante, operam dabo ſedulò, vt plures prelo ſubijciantur, & in Eccleſiæ vtilitatem publicentur.*

Eo igitur animo iam quoq; hunc librum, qui THEMATA CONCIONVM *comprehendit, publici iuris facio. Hæc venerãdus D. Socer meus ante 28. annos in celebri Gymnaſio Curiano ſtudioſis adoleſcentibus dictauit, & explicata ſua methodo concionandi,* (Methodus concionãdi D. M. Andreæ Pancratij poſtremò recognita, & noua cùm regularum, tum exemplorum acceſſione aucta, edita eſt Vitebergæ typis Clemẽtis Schleich Anno 1574.) *his fideliter mõſtrauit, quomodo ea arti-*

ea artificiosè ac vtiliter in Ecclesia, iuxta duo genera causarum, publicè proponi possint. Licet enim alias quatuor genera causarum in Rhetoricis vsitatè numerẽtur, didascalicum scilicet, iudiciale, deliberatiuum & demonstratiuum, tamen duo tantum ex his, didascalicum videlicet & deliberatiuum, frequentissimum in Ecclesia habere vsum, vel vnus Apostolus Paulus testis omni exceptione maior esse debet. Is enim in Epistola ad Romanos cap. 15. ita scribit: Quæcunq; scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt: vt per patientiam & consolationem scripturarum spem habeamus. Et 1. Corint. 14. Qui prophetat hominibus, loquitur ædificationẽ, exhortationem & consolationem. Et in 1. Timoth. 4. Attende exhortationi & doctrinæ. Et 2. ad Timotheum 3. dicit: Sacræ literæ te possunt eruditum reddere ad salutem per fidem, quæ est in Christo Iesu. Omnis enim scriptura diuinitus inspirata vtilis est ad doctrinam, ad redargutionem, ad correctionem, ad institutionem, quæ est in iustitia, vt integer sit Dei homo, ad omne opus bonum apparatus.

Duobus ergò illis, quæ docent, exhortantur,

Et cùm multi etiam magni ac doctiſſimi viri iam tum iudicarint, me ad gloriam Dei & Eccleſiæ vtilitatem maximum emolumentum allaturum, ſi, quod boni omnes ſingulari deſiderio expetunt, præclara nobilis ingenij & eximiæ eloquentiæ PANCRATIANÆ *documenta publici iuris facere dignarer: non potui nec debui ipſorum iudicio & voluntati, addo etiam petitioni refragari, ſed vt hactenus pro eo, quod in me eſt, promptiſſimo Eccleſiæ inſeruiendi ſtudio, aliquos ſalutares labores Domini Soceri in lucem emiſi, ita & deinceps, Deo me bene adiuuante, operam dabo ſedulò, vt plures prelo ſubijciantur, & in Eccleſiæ vtilitatem publicentur.*

Eo igitur animo iam quoq; hunc librum, qui THEMATA CONCIONVM *comprehendit, publici iuris facio. Hæc venerãdus D. Socer meus ante 28. annos in celebri Gymnaſio Curiano ſtudioſis adoleſcentibus dictauit, & explicata ſua methodo concionandi,* (Methodus concionãdi D. M. Andreæ Pancratij poſtremò recognita, & noua cùm regularum, tum exemplorum acceſſione aucta, edita eſt Vitebergæ typis Clemẽtis Schleich Anno 1574.) *his fideliter mõſtrauit, quomodo ea arti-*

ea artificiosè ac vtiliter in Ecclesia, iuxta duo genera causarum, publicè proponi possint. Licet enim alias quatuor genera causarum in Rhetoricis vsitatè numerẽtur, didascalicum scilicet, iudiciale, deliberatiuum & demonstratiuum, tamen duo tantum ex his, didascalicum videlicet & deliberatiuum, frequentissimum in Ecclesia habere vsum, vel vnus Apostolus Paulus testis omni exceptione maior esse debet. Is enim in Epistola ad Romanos cap. 15. ita scribit: Quæcunq; scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt: vt per patientiam & consolationem scripturarum spem habeamus. Et 1. Corint. 14. Qui prophetat hominibus, loquitur ædificationẽ, exhortationem & consolationem. Et in 1. Timoth. 4. Attende exhortationi & doctrinæ. Et 2. ad Timotheum 3. dicit: Sacræ literæ te possunt eruditum reddere ad salutem per fidem, quæ est in Christo Iesu. Omnis enim scriptura diuinitus inspirata vtilis est ad doctrinam, ad redargutionem, ad correctionem, ad institutionem, quæ est in iustitia, vt integer sit Dei homo, ad omne opus bonum apparatus.

Duobus ergò illis, quæ docent, exhortantur,

tur, dehortantur & consolantur, Didascalico videlicet & Deliberatiuo genere, in publicis concionibus plerunq; vtimur.

Ad genus igitur Didascalicum D. Socer omnes doctrinas & disputationes, siue de simplici vocabulo, siue propositione aliqua confirmanda vel refutanda, item allegorias & parabolas, quia in his etiam doctrina continentur: Ad Deliberatiuum verò omnia præcepta, quæ facere vel omittere aliquid iubent, vt adhortationes, dehortationes, consolationes, petitiones, & alia similia, retulit.

Ex his colligere licet, qui & quantus huius libri in Ecclesia erit vsus. Poterit enim hoc quilibet cordatus lector loco commentarij locupletissimi vti, & in hoc facile inuenire, quid quouis tempore ex vsitatis Euangelijs Dominicalibus pie, concinne ac vtiliter populo Christiano proponi debeat. Imò cùm vsus horum thematum omnibus, etiam exiguæ eruditionis hominibus, sit obuius, non opus esse existimo multa præterea verba hac de re facere.

Vnicum hoc silentio prætereundum non est, quòd hic liber testimonium quoque sit ὀρθοδοξίας incorruptæ, & per D. D. Lutherum

rum repurgata doctrina Euangelica, ac insuper egregie monstret, quam (vt supra monuimus) inexhaustus sapientiæ fons sit sacra scriptura, & quomodo nos eam legere & solerter meditari debeamus, vt nobis inde omnis generis salutares doctrinæ, vtiles adhortationes, efficacissimæ consolationes, & grauissimæ detestationes promanent, adeoq; verbum Dei ad adipiscendam salutem nobis recte accommodetur.

Dignus ergo hic liber, qui in lucem edatur, & multis bonis, qui eum hactenus diu expetiuerunt, communicetur.

Non ignoro equidem, nonnullos in hoc opere multa desideraturos. Facilius enim est reprehendere quam corrigere, culpare quam emendare: nolui tamen propter paucos sinistre iudicantes, multos, qui hanc nostram opellam expetiuere, defraudare.

VOBIS *autem, amplissimi, prudentissimiq; Consules & Senatores, Domini patroni & mecænates obseruandi, hunc libellum dedicare, & sub V. A. nomine & authoritate in lucem prodire volui, vt vobis patronis ille sit acceptior multus. Et aliquo modo*

etiam

etiam ego debitam meam gratitudinem, pro singulari vestra erga me meamq; domum beneuolentia, quam reipsa aliquoties liberaliter hactenus declarastis, testarer. Cumq; etiam notissimum sit, qua cura & solicitudine assidua, vt & vera pietatis zelo ardentissimo vos ciuitati huic, simul & communi religionis causa consultum cupitis, volui hac inscriptione laudabile illud vestra pietatis studium commendare, publicoq; testimonio ostendere, quòd veritatem doctrinæ cœlestis ab omnium errorum contagio alienam, sanctè colatis, eamq; modis omnibus sartam tectam ad caram posteritatem transmitti iugiter exoptetis. Postremò cùm olim hæc doctrina & confessio, quæ in hoc opusculo extat, per dominum Socerum quoq; in Ecclesia & schola vestra non sine insigni vtilitate sonuerit, meritò illud V. A. nuncupandum duxi, cuius lectionem vobis haud ingratam futuram spero.

Quanta igitur possum, debita subiectione & animi reuerentia V. A. oro, vt hanc meam nauatam operam benevolè & sereno vultu accipere, & magis meæ voluntatis & obseruantiæ significationem, quàm muneris magnitudinem & rei pretium inspicere dignemini.

mini. Quod reſtat precor æternum Patrem D. N. I. CHRISTI, *vna cum filio & ſpiritu Sancto, vt vos in vera verbi ſui agnitione cuſtodire, & in hac veſtra ſatis graui & moleſta gubernatione, ac omnium rerum ſtatu ferme aduerſo clementer tueri, atq; incolumes in multos annos ad ſanctiſſimi nominis ſui gloriam, Eccleſiæ pacem, & Reipub: veſtræ tranquillitatem conſeruare benignè velit, Amen. Datæ* AMBERGÆ *die Ludouici, qui erat 25. Auguſti Anno 1597.*

V. A.

reuerenter & ſubmiſſe colens

Salomon Codomanus.

DE OFFICIO CONCIONATORIS DISSERTATIO D. PHILIPPI *Melanchthonis.*

Scriptores initia artium ex artificum officiis ducunt; postea viâ quærunt ac rationem, qua officia illa perficiantur. Qui enim de Principis institutione scribunt, initiò partiuntur officia Principis, vt pacem domi legibus ac iudicijs; in bello armis defendant. Medici, priusquã præcepta de diæta aut morborũ remediis tradunt, officia commemorant, sanitatem conseruare & morbos curare. Quare nos etiam tradituri quædam præcepta concionatoribus, primum quæ sint officia ostendemus. Præcipuum est docere, quæ sit vis & natura religionis. Alterum est hortari, tum ad fidem, tum ad bonos mores. Frustra enim adhortatio suscipitur apud eos, quibus ignota est vis & natura religionis. Atq; hæc officiorum genera esse nominanda duximus, quæ fortasse aliquis in multas species secare possit. Nam adhortatio obiurgationem complectitur, & illi contrariam consolationem: sed iudicium adhibendum est in enumeran-

dis

dis ſpeciebus; non modò ne multitudo perturbet diſcentem: ſed etiam ne quam ſpeciem ex Rhetoricis huc transferamus, alienam à concionatoris inſtituto.

Ex officiis Concionatoris facilè, quot ſint genera Concionum, colligi poteſt. Sunt enim hæc tria: Didacticum (pertinens ad genus cauſlæ Didaſcalicum) Epitrepticum, quod ad credendum; Paræneticum, quod ad mores hortatur. (in genere deliberatiuo.)

Bona pars Concionatorum ſolum hoc poſtremum genus tractat, quod qui ſine fidei cognitione proſequuntur, tantùm philoſophantur, non tradunt Chriſti doctrinam: neq; ego prætermitti volo; ſed duo genera priora multò ſæpius tractanda ſunt. Nam cum Euangelium multa ſupra captum rationis poſita præcipiat; nō poteſt intelligi, quid ſit verè Dei cultus, niſi quid doceat Euangelium teneamus.

Vides autem nos ex Rhetorica (quoniā ratio concionandi illius artis quædam pars vel imago eſt) quædam Concionum genera mutuatos eſſe. Quare mirari poſſit aliquis cur non omnia cauſſarum genera (quod alij quidam fecerunt) ad concionatores etiam tranſtulerim, præſertim cum laudatione crebri vti cogantur, tum interdum etiam litigent.

Ego demonſtratiuum genus planè repudiandum eſſe duxi. Quanquam enim in Suaſoriis Concionibus aliquando obiter inter argumentandum laudatione vtendum ſit: tamen nunquam Concionis principale genus laudatio eſſe debet. Nunquam laudabit perſonã vllam Concionator, oratorum more. Prorſus enim explodendæ ſunt ex eccleſiis orationes illæ, in quibus Chriſtus ita prædicatur, tanquam in declamatione Camillus aliquis, aut Themiſtocles; quo genere Concionum nunc in Italia delectantur: Et ineptiſſimè eo vſi ſunt, qui beatam Mariam, aut alios ſanctos ornare conati ſunt.

Videmus Nazianzenum & Chryſoſtomũ nonnunquam, vt in ludo, declamare, & Chriſtum laudare: cum oportuit non de Chriſti facto; ſed de conſilio dicere, &, quid credere, quid ſperare nos voluerit Chriſtus, oſtendere.

Quòd verò prætermiſimus Iudiciale genus, hoc in cauſſa eſt: quia commodè videbam contentiones Concionum in Didactico genere poſſe contineri; maximè cum non vtatur Concionator locis dicanicis; ſed magis authoritate ſcripturę pugnet, ad quam locos Didacticos adhiberi, vt infra oſtendemus, oportebit. Et alio quodam litigare modo Concionatorem decet, quam oratorem in fo-

in foro. Concionator hanc habeat curam præcipuam, vt planè & præcipuè doceat; vt conscientias diligentissimè muniat: id non potest effici, nisi certissimis & planissimis scripturæ testimoniis. Nec valent hic coniecturæ aut strophæ, quæ sæpe plurimùm oratori in ciuilibus caussis prosunt.

DE GENERE DIDACTICO.

NEmo poterit ritè docere, nisi Dialecticæ peritus sit: ea enim ars est perspicuè docendi; neq; ob aliam caussam inuenta est vllam, nisi vt viam & rationem res obscuras explicandi teneremus. Hæc versatur vel circa res simplices, vt si de fide dicendũ sit; vel circa coniunctas, vt si disputandum sit, vtrum fides iustificet, an opera. Quę autem sint instrumenta vtrique parti, Dialectica consulenda est.

Sed quoniam genus hoc Concionum præcipuum esse dicimus: partes etiam quærendæ sunt, vt quam latè pateat, intelligi melius possit. Nam hic maximè vtilis erit ecclesiæ, qui hoc genus rectissimè tractare poterit, quod plurimi aut omnino non attingunt, contenti inculcare præcepta de moribus, sũmam doctrinæ Christianæ nusquã tradũt; aut

extremis tantum digitis leuiter perstringunt.

Porrò duæ species sunt huius generis, interpretatio & Methodus. Nam in aliis artibus ratione quæruntur artium initia & causſæ: in sacris literis id fieri non debet. Tota enim doctrina Christiana diuinitus tradita est, & mandata literis à Prophetis & Apostolis: id scriptum sequendum est. Quare non magnus labor est Concionatori inuenire quid dicat: prudentia adhibenda est, vt deligat ex tanta copia, quæ maximè videntur profutura: qua in re primum est, vt rectè intelligat ea, quæ tractanda suscipit. Nemo enim de ea re, quam ipse penitus non habet cognitam, docere alios perspicuè potest. Notus est Horatii versiculus: verbaq; prequisam rem nō inuita sequuntur. Neque verò studio tantùm consequetur, vt intelligat sacras literas: sed opus est, vt doctore spiritu Sancto experiatur vim earum, in variis vitæ casibus.

Proximum est, vt viam quandam & rationem interpretandi sciat, quæ traditur in ijs literis, quibus prima pueritia ad eloquentiam instituitur.

Oportet nosse sermonis genus interpretem: est enim sua quædam phrasis sacrarum lite-

literarum, quam intelligere hi, qui non sunt rectè à pueritia instituti, non queunt.

Nec satis est linguas vtcunque callere: sed, ut rectè iudicare possit, magnum habeat etiam Dialecticæ & Rhetoricæ vsum.

Hæc instrumenta qui ad enarrationem attulerit, cum integrum aliquem librum in manus accipiet; initiò constituet, qui sit status scripti. Deprehenso statu seriem propositionum atque argumentorum obseruet, vbi autor expacietur in aliquam parecbasin, vbi causam agat.

Hanc imaginem totius corporis animo suo prius includendam putet, vt, quomodo consentiant omnia, norit, quàm ad populum efferre cœperit. Idem faciet, si non integrum librum volet enarrare: sed locum aliquem seu partem, vel Pauli, vel Prophetæ cuiuspiam, vel (vt fit in nostris Ecclesiis) Euangelicæ historiæ.

Cum ad hunc modum se præparauerit interpres, postea populum simili consilio docebit. Dabit operam, vt imaginem scripti populi oculis subiiciat: qua in re non tanta subtilitate opus est, quanta vel domi vel in scholis vti solemus: sed maximè fugienda est nimia subtilitas. Quia sæpe tenebras offundit populo, & sine fine

Logomachias gignit. Propositionem igitur propriis verbis & significantibus populo recitabit, hanc sæpe repetet, sepę inculcabit, vt, quid agatur, teneant, & sciant quid expectare in toto scripto debeant.

Cætera ad Dialecticũ seu Rhetorem pertinent. Fortasse Propositio statim definitionem aut diuisionem requiret; id videre prudentia quædam est. Postquam definitione & diuisione obscuræ voces explicatæ sunt: argumenta enarrentur; sed hic delectus adhibendus est, vt populo commeminisse in omni vita liceat. Hoc enarrandi genere Lutherus in Galatis vsus est, ac passim alias: veteres nũquam, quod sciam, satis feliciter tractarunt. Origenes in Euangeliis delectatur Allegorijs, discedens à germana sententia textus: quod est vitiosissimum interpretandi genus. In Epistola ad Romanos planè nullam habuit curam coniungendi membra disputationis.

Sæpe accidit, vt de vna voce proponatur, vt de fide, de pœnitentia, de patientia, de sacerdotio, de coniugio: quod cum fit, sequẽdæ sunt quæstiones, quid sit, quæ causæ, quæ partes, qui effectus, quæ sint cognata, quæ sint pugnantia.

Alicubi narrantur exempla & historiæ, vbi interpres obseruabit, ad quos locos communes

munes transferre exemplum conueniat. Nã in præceptis aliarum artium exempla traduntur, vt præcepta fiant illustriora: ita in sacris literis traduntur exempla, quæ vel fidem erigant, vel timorem incutiant, & de certis officiis nos doceant. Sed videre, qui loci maximè congruant, nemo potest, nisi teneat summam doctrinæ Christianæ seu Methodum, quæ ex epistola ad Romanos rectissimè cognosci potest.

Quidam in historiis omnes minutissimas particulas excutiunt: id fortasse in scholis, aut paucis quibusdam locis fieri vtiliter potest. Cæterum non vbiq; decet, ac vanam quandam ingenij ostentationem habet: loci præcipui animaduertendi sunt, quos in exemplo videtur voluisse pingere spiritus Sanctus. Nec procul accersenda sunt aliena à proposito, nec allegoria comminiscenda est sine necessitate.

Quàm ineptè tractatus est à nonnullis locus: Tu es sacerdos in æternum, secundum ordinem Melchisedech? Si quis propriam ac simplicem definitionem sacerdotij quærat, plana res erit. Est enim sacerdos propriè, qui placat iram Dei. Sacerdos secundum ordinem Leui est, qui legem docet. Sacerdos secundum Melchisedech est, qui benedicit nobis, sicut Abrahæ benedicebat

Melchiſedech. Hæc autem propriè competunt in Chriſtum, placare iram Dei & benedicere nobis, & polliceri Dei fauorem & auxilium. Frigebit prorſus interpretatio, ſi, omiſſa ſententia, quam ipſa parit litera, vt vocant, adfingas neſcio quæ ſomnia. Habes enim grauiſſimos locos, quòd ſit ſacerdotium Chriſti remittere peccata: item quomodo conſequamur remiſſionem peccatorum ſeu iuſtificationem, vtrũ placante Chriſto, an placantibus nobis iram Dei. Sed hæc nemo feliciter tractabit, vt antea dixi, niſi probè teneat Methodum ſeu ſummam doctrinæ Chriſtianæ, ad quam vtinam Hieronymus in Prophetis ſæpius reſpexiſſet.

DE QVATVOR SENSIBVS.

VNa eſt & ſimplex ſcripturæ ſententia, quam adfert Grammatica enarratio: hæc vna cum ſit certa, maximè docere & confirmare conſcientias poteſt. Si quid præter hanc fingitur, quoniam incertum eſt, non poteſt ſatis munire conſcientias, ſequamur igitur ſemper, iuxta Grammaticæ ſeu Rhetoricæ præcepta, propriam & natiuam ſententiam. Docuerunt trifariam vnamquanque ſententiam peruertere: ſed huiuſmodi metamorphoſes nullo modo ferendæ ſunt. Interdum

terdum Allegoria vti conceſſum eſt, ſi id verecundè & ratione quadam fiat, & in talibus locis, quos conſtat ideo traditos eſſe, vt rectè aliquid ſignificarent: vt ſi quis propitiatorium & arcam interpretetur. Et tamen Allegoriam tractantibus, id quod ſæpe iam dixi, ſummam Chriſtianæ doctrinæ tenere opus eſt, alioqui non poteſt fieri, quin recta via deerrent: ſicuti videmus hallucinatos eſſe, qui per Aharonem ſignificari Romanum pontificem ſcripſerunt; qui, quia rex Vſia ſacrificans à Deo punitur, neſcio quid de ordinibus comminiſcuntur: cum exemplum oſtenſum ſit, ne cultum Dei ſine mandato diuino vllum inſtituamus. Lex habebat certas ceremonias diuinitus traditas: ritaq; humano conſilio non licuit regi ſacrificare, cum lex prohiberet. Videndum igitur eſt, quid ſit conſentaneum ſcripturæ. Nam ſi pugnet Allegoria cum apertis ſcripturis, explodenda erit. Habent aliquid gratiæ in omni ſermone Figuræ, tanquam varij geſtus: & adferunt lumen in dicendo, ſed ſi in loco vſurpentur. Verum non eſt mediocris prudentiæ intelligere, vbi deceat Allegoria. Quare non velim audere concionatores in hoc genere: habeant magnum numerũ teſtimoniorum, in vnaquaque cauſſa, certorumque: ſine figura aperte

apertè comprobent inſtitutum: his vti malint, quam illis Allegoriarum deliciis, quæ vt in ſpeciem blandiuntur nobis, ita diu placere non poſſunt.

Iam hoc in Allegoriis ſeruetur, vt ſicuti aperta ſignificatio vna eſt, ita non plus vna ſignificatione latuiſſe in litera putetur: vt, mactatio agni Phaſis nihil ſignificat, niſi Chriſti mortem.

Quare nihil opus eſt ſenſu, quem vocant Anagogicum, & tropologiam, cum iuxta conſuetudinem Græcorum ſignificet omnem figurarum ſermonem: iſti vocarunt tantum, cum exemplum ad mores accommodatur; quod cum fit, non mutatur ſignificatio verborum hiſtoriæ, tantum ſimile exemplum oſtenditur, quod imitari nos conueniat. Sicut in humanis literis exempla proponuntur; vt, ſi quis exemplum commemoret mulierculæ, quæ patrem (quem Triumviri Romæ fame necari iuſſerant) in carcere vberibus ſuis aluit: cum adhortamur liberos, vt pietatem parentibus præſtent. Ibi ſimilitudo mouet animos: verba hiſtoriæ in aliam ſignificationem transferre nihil opus eſt.

Cum recitamus, Chriſtū dediſſe Didrachmum, & hortamur, vt illius exemplo magiſtratus vereamur: nō mutantur hiſtoriæ verba; ſed propter facti ſimilitudinem accommodan-

modantur ad præsentem causam, vt: Abraham deseruit patriam: ita nos relinquere potius omnia debemus, quàm offendere Deum, & exuere amorem rerum præsentium debemus & sequi voluntatem Dei.

In talibus locis nihil opus est mutare historiæ verba: sed à simili talia argumenta ducuntur. Hæc duximus adscribenda esse: quanquam olim è scholis ac templis somnia illa monachorum de quatuor sensib⁹ explosa sint: tamen quia nonnulli plus satis hanc prodigiosam varietatem in interpretando amant, propter authoritatem veterum, quorum aliqui Allegoriis immodice delectantur, volui lectorem monere, vt ad metamorphoses illas iudicium adhiberet.

DE METHODO.

ALtera pars Didactici generis est Methodus. Voco autem Methodum, cum doctrinæ summa iusto ordine contrahitur. Hæc quanquam est posterior superiore illa specie; quia ex scripturarum lectione colligenda est: tamen vsu concionatori propemodum prior est. Sicut enim Architectus totius ædificij formam inclusam in animo ponit: ita artium doctores oportet eas artes, quas tradunt, totas animo complecti, vt initia

tia seriemque omnium præceptorum ostendere queant. Ac cæteræ artes, quoniam ratione deprehendũtur, facilius percipi possunt. At Euangelium, quia multa supra iudicium rationis posita continet, difficulter percipitur: hoc plus laboris suscipere concionatorẽ oportet, vt res obscurissimas clarè explicet: id ita facit, si tum demum ad docendum accesserit, cum ipse totam religionis doctrinam animo comprehendit.

Verum nescio quî fiat, vt cum manuũ opificium exercere nulli liceat, nisi diu didicerit: ad concionandum admittuntur omnes sine delectu. At paulus præcipit, vt sit Episcopus ad docendum idoneus. Talis autem erit, qui sententiam religionis rectè tenet, & in vita, doctore spiritu sancto, vim eius expertus est: ad hæc qui viã quandam docendi nouit. Porrò docendi viam nosse nemo potest, nisi à prima pueritia rectè sit institutus, & in illis artibus diu multumq; versatus, quæ præcepta eloquentiæ continent: is demum ex tota scriptura summam doctrinæ sciet in compendium contrahere. Hîc dabis operã, vt & populus doctrinam Christianam cõprehendat vniuersam. Videtur hoc Ecclesia quondam seruasse, vt rudibus, priusquam ad Baptismum admitterentur, summa doctrinæ traderetur; qui ob eam caussam appellati

sunt

sunt Catechumeni. Nam Catechein non simpliciter docere significat; sed propemodum prælegere & audire reddentes dictata. Atque vtinam esset mos retentus in Ecclesia exigendi à singulis rationem doctrinæ. Diligentius enim considerabamus & altius introspicimus, quæ recitare cogimur. Deinde vbi creuerunt canones, & natæ sunt superstitiones eorum, qui scripserunt commentarios in Longobardum: propter tot canonũ aceruos, & infinitas rixas scriptorum, populus non potuit doctrinam Christianam in exiguum compendium contrahere. Ita accidit, vt, quod potissimum doceret Euangelium, non perspicerent.

Idem enim in hoc genere propemodum fit, quod in alijs artibus: vbi qui non vident præceptorum quæ regiones, initia ac fines, etiamsi perpetuò discant, nihil adsequuntur. Et haud scio, an initiò Lutheri libelli ideo cũ tanto fauore excepti sunt, quia videbantur ostendere præcipuos doctrinæ Christianæ locos, & quæstiones ad pietatem non inutiles.

IN LO-

IN LOCOS EVANGELIORVM D. M. PANGRATII.

EPIGRAMMA.

MVnus, in hac noſtra, quo Chriſti Eccleſia preſſa
Ætate ornatur, non tenue eſſe reor
Quod primum nacta eſt homines doctoſq; pioſq;,
Quorum lux verbi nunc nitet auxilio.
Inter eos aliqui viuunt hoc tempore triſti:
Aſt aliqui intrarunt cœlica regna Dei.
Ex quorum numero venerandus ab æthere nobis
PANGRATIVS *datus eſt, vir pietatis amans,*
Qui purè explicuit cœleſtis dogmata verbi,
Annos per multos, non ſine laude, Dei.
Inſuper & magno eruditi ſudore inuentam,
Concio vulgaris quo ſit habenda modo.
Sicq; LOCOS EVANGELIORVM *ritè docebat,*
Qui poſſunt multis commoda magna dare.
Prodeat vt Liber hic, creſcatq; Eccleſia CHRISTI,
CODMANNI *Generi ſedula cura dedit.*
Ergo hunc quisq; bonus foueat, vultuq; benigno
Voluat, & ex vſu quod queat eſſe, ſciat.

Nicolaus Fleſſæus Eccleſiæ Curianæ Miniſter, Reuerẽdiq; Capituli ibidem Senior, in Reuerendi atq; Clariſſimi Viri D. M. Andreæ Pangratii eiuſdẽ Eccleſiæ Paſtoris ac Superintendentis vigilantiſſimi, cõpatris ſui cariſſimi (cuius recordatio ſit in benedictione) memoriam, debitamq; gratitudinem F. Idib. April. An. acquiſitæ ſalutis 1597.

EPIGRAMMA IN SYLVAM LOCORVM COMMVNIVM EX VSITATIS EVANGELIORVM Dominicalium & festorum pericopis excerptam & collectam à Reuerendo & Doctissimo Viro D. M. ANDREA PANGRATIO, Ecclesiaste olim Curiense vigilantissimo.

Cum sit sacra dies, cunctas celebranda per oras
Christiados, summi cultibus apta Dei:
Mos pius & vetus est certos proponere textus,
Doctrina & plenos inde referre locos.
Quos vel Epistolicus scriptor post fata reliquit,
Aut Euangelici corporis autor habet.
Hunc introduxit morem cognomine Magnus
CAROLVS, *imperii fida columna sacri.*
Audiit iste viros doctrina atq; arte potentes,
Quo deceat pacto templa scholasq; regi.
Primas consilii partes ALCVINVS *habebat,*
Vir verè prudens & pietatis amans,
Sermones sacros qui scripsit acumine dextro,
Subiecitq; sui Cæsaris arbitrio.
Fermè octingentis annis Ecclesia Christi
Hunc ritum obtinuit, laude decente, pium.

)()(*Nunc*

EPIGRAMMA.

Nunc igitur meritò catu retinetur ab omni,
Discere quem verbi dogmata sana iuvat.
Haud nos impediant turba dicteria prava
Liuida, cui semper displicet ordo bonus.
Nil, nisi quod facit ipsa, solet laudare: vetustos
Abrogat en ritus, instituitq; novos.
Huic Euangeliûm solennis lectio sordet,
Nullus Epistolijs constat & esse locus.
Non cura est festi discretio temporis ipsi:
Ordine turbato cuncta licenter agit.
Ergo Nouatores fugiat, qui tramite recto
Tot seclis tritam gaudet inire viam.
Sic sensit, sic fecit item Clarissimus olim
SPANGRATIVS, *nostrâ pastor in vrbe pius.*
Magno cum fructu verbi praconia fecit,
Et Christo multas conciliauit oves.
Vox eius, quovis ferro penetrantior, imas
Ad cordis latebras tendere visa fuit.
Sit cassum inuidiâ dictum: non derogo laudem,
Quam IOVA *omnipotens vnicuiq; dedit.*
Curiaci Inspector ludi puerilibus acri
Iudicio studijs commoda mille tulit.
Dictauit methodi precepta, vt quisq; minister,
Quas habeat partes concio, nosse queat.
Explicuitq; eadem, multis & prabuit ansam.
Tractandi iusto biblica scripta modo.
Quàm prosint logica studijs iuvenilibus artes,
Hoc exercitio prodidit ipse satis.

Sidera

EPIGRAMMA.

Sidera clara prius labantur ab æthere celso,
Quàm pereat tanti fama secunda viri.
Ex Evangeliis, quæ prisco more leguntur,
Communes scripsit, non sine fruge, locos.
In quatuor classes autor digessit eosdem:
Vt, quid proposito seruiat, inde petas.
Mercurialis vti lapis est certissimus index,
Quam quis iter faciens debeat ire viam:
Sic præsens liber ostendit tibi, candide lector,
Quæ sit conueniens arripienda Thesis.
Si tractare velis simplex thema, consule sylvam
PANGRATII, *datur en copia magna tibi.*
Si coniuncta magis placeat tibi quæstio, gressum
Huc fer, & inuenies corde cupita tuo.
Illustris virtus hortamina certa requirit,
Hæc etiam doctâ suggerit arte tibi.
Nec minus, emergat quàm detestabile damnum
Ex vitiis, monstrat, sit nisi cautus homo.
Materias varias vel textus sufficit vnus:
Elige pro libitu quod tibi cunq; placet.

LEctor amice vale, quoties & pellegis istum
Excusum librum, concipe vota duo:
Scilicet vt multos liber hic floreſcat in annos:
Nostri & PANGRATII molliter ossa cubent.
Dic etiam toto CODOMANNO *pectore gratet,*
Quòd Soceri haud patitur scripta perire situ.
Sed leuat in lucem, quæ sunt dignissima lucis
Vsurâ, & prosunt vtilitate suâ.

EPIGRAMMA.

Colligere ipse iubet si Christus fragmina panum,
Ne malè dispereant sub pede pressa grani:
Cur non doctorum monumenta diserta virorum
Quilibet à turpi vindicet interitu?
Dic grates CODOMANNO, *inquam, Numenq; precare,*
Ne rabidis fiat preda petita lupis.

Piæ obseruantiæ & debitæ gratitudinis ergò scripsit M. Simson Mencelius, Diaconus Curiensis.

ALIVD.

EPIGRAMMA.

ALIVD.



I gemmas rutilumq; aurum, doctissime Lector,
Diligis, & regum munera magna probas:
Cur non huius ames verè aurea dona libelli,
Quem tibi Pangratii docta Thalia dedit?
Hunc simul argento meliorem credito & auro:
Indorum gemmas hunc superare puta.
Nam veluti potuit, filis ducentibus instans,
Perplexam Theseus ire redire viam:
Sic etiam monstrat, quæ sint tractanda cuiq;
Ex Euangeliis, aureus iste liber.
Hinc petis in sacrum quasi commentaria verbū:
Hinc etiam ad populum concio docta venit.
Omnia dum purè tradit, Methodumq; secutus
Nec prolixa nimis, nec nimis arcta docet,
Propterea hunc magnum magno dignabere honore,
Sedulus atq; leges tempora cuncta, librum.
Hunc studio vigili, Lector, tere, volve, revolve:
Nostro & Pangratio, qui dedit ista, fave.

Amoris & piæ gratitudinis ergò scriptum à M. Enoch VVidmanno, Curiensis Gymnasij moderatore.

PRÆFATIO.

PRÆFATIVNCVLA IN LOCOS EVANGELIORVM M. *Andreæ Pangratii.*

PRomisi, sicut scitis, me absolutis præceptis Methodi dictaturum Locos Euangeliorum Dominicalium, & monstraturum quomodo omnes doctrinæ distribui possint in duo genera causarum, id nunc faciam. Deus faxit, vt hic labor cedat ad eius gloriam & vestrum commodum Amen. Finis autem principalis huius laboris primùm est inquirendus: dicam igitur primum de eo aliquid. Oratoris officia (vt scitis) sunt quinq; I. Inuētio, II. Dispositio, III. Elocutio, IV. Pronunciatio, & V. Memoria. Iam si quæstio instituatur ad quodnam officiū oratoris pertineant præcepta Methodi? Respondendum est: Ad secundū, nempe ad Dispositionem. Petere ex singulis Euangeliis certos locos vel doctrinas, ad quod Officium Oratoris referes? Resp. ad primum, ad Inuentionem.

Quotuplex est ergò Inuentio?

Duplex { Generalis seu vniuersalis &
Specialis seu partialis.

Vniuersalis seu Generalis Inuentio est, excogitare certam propositionem, ideoq; etiam circa statum Iuuentionis vel propositionem versatur. Specialis autem seu partialis

est

est, videre quid requiratur in singulis concionibus (i.e. quid requiratur, vt singulæ cõciones habeant quod debent habere) & versatur circa omnes partes concionis. Ergo finis huius laboris est, inuenire certos locos concionis vel propositionis. In Ecclesia autem (vt hactenus in Methodo audiuistis) duo sunt genera concionum. Primum est Didascalicum, & alterum Deliberatiuum. Didascalicum genus habet duos locos, videlicet quæstionem simplicem & coniunctam. Deliberatiuum itidem duos, videlicet adhortationem & dehortationem vel detestationẽ. Dictabo igitur vobis certas propositiones ex Euangeliis, & titulos locorum, iuxta duo genera Concionum, in quatuor classes distribuam. Et primo dictabo Quæstiones simplices, II. Quæstiones coniunctas, III. Adhortationes, IV. & vltimo, Detestationes.

1

DOMINICA I. ADVENTVS,

EVANGELIVM Matth. 21.

Cum appropinquassent Hierosolymis &c.

QVÆSTIONES SIMPLICES XVI.

DE obseruatione temporis aduentus, cur & à quibus sit institutum.
2. De aduentu CHRISTI, quotuplex sit.
3. De itinere Christi versus Hierosolymam, & eius caussis.
4. De regno Christi, quale sit.
5. De humili Christi ingressu.
6. De pauperrate CHRISTI, & vtriusque caussis.
7. De ministerio Euangelii.
8. De efficacia ministerii, & verborum Christi.
9. De Christo rege.

10. De filia Sion.
11 De vera Ecclesia, quænam sit?
12. De materia ex qua Ecclesia, vel vnde sit colligenda?
13. De cultibus Christo debitis.
14. De cantico populi vel verbis Psalmi: Hosianna filio Dauid, benedictus qui venit in nomine Domini.
15. Cur Christus dicatur filius Dauid?
16. Quid sit venire in nomine Domini?

CONIVNCTAE XII.

1. Quòd Christus sciens & volens passus sit, quia sponte iret ad locum passionis facit.
2. Quòd Christus sit verus Deus. Absens enim videt asinam alligatam, & alia quæ apostolis euentura sint.
3. Quòd Christus hominum corda ad debitum obsequium flectere possit.
4. Quòd Christus sit promissus Messias. Apparuit enim talis, qualem prophetæ futurum esse prædixerunt.
5. Quòd omnia Prophetarum oracula semper fuerint & sint certissima.
6. Quòd regnum Messiæ non debuerit esse mundanum, vt Iudæi opinabantur, sed cœleste & æternum.
7. Quòd regnum Christi non tollat aut aboleat regna mundi.

8. An

8. An Christus iubens adducere alienam asinam, tollat proprietatem rerum, & det licentiam inuadendi aliorum bona?

9. An discipuli recte faciant abducentes asinam, insalutato eius domino?

10. Quòd Christus per vocem Euangelii velit innotescere, & efficax esse in mundo, quia dicitur: DICITE filiæ Sion &c.

11. An regnum Christi tantùm ad Iudæos, an verò ad alias etiam gentes pertineat?

12. An populus acclamans hosianna, habuerit veram Messiæ cognitionem, & quidem talem, qualis hodie de Christo prædicatur.

ADHORTATIONES XVII.

1. Ad patientiam in cruce. Cum enim Christus propter nos sponte mortem subierit, & nos etiam propter ipsum ferenda feramus.

2. Ad obedientiam & obsequium Christi. Quæ enim hic apostolis præcepit, sine contradictione faciunt.

3. Ministri Ecclesiæ adducant Christo pusillos cum maioribus, & ex Iudæis & gentibus Ecclesiam colligant.

4. In omnibus ministerii nostri laboribus & difficultatibus, hac nos fiducia sustentemus, quòd Christus hic dicit: Et confestim dimittet eos &c. Non ergo erit labor noster inanis in Domino.

5. Contradicentes hoc responso compescamus, quod Dominus ministerio nostro opus habeat, & ad hoc etiam semper respiciamus.

6. Ministri verbi spargant gratiam de Christo, famam & gloriam nominis eius, in Ecclesia magna prædicent, quia dicitur: Dicite filiæ Sion.

7. Ecclesia etiam audiat docētes de Christo.

8. Christum fide suscipiamus, quia NOBIS venit.

9. Ad mansuetudinem & humilitatem.

10. Ad tolerantiam & patientiam in paupertate, quia Christus humilis & pauper venit.

11. Christum intrepide coram toto mundo confiteamur, & vbi opus est, non solum vestes, sed cutem etiam propter ipsum exuamus.

12. Diuites in mundo conferant facultates suas in conseruationem & propagationem doctrinæ Euangelii.

13. Magistratus sternat & paret viam Domino, vt dicitur: Aperite portas vestras, principes terræ.

14. Qui alia ratione cursum Euangelii promouere nequeunt, saltem voce & votis ardentibus regno Christi bona precentur.

15. Psalmos sacros legamus & cantemus, prophetiasq; de Christo in eis diligenter obseruemus. Hieronymus enim scribit, suo adhuc

tempore

tempore Psalmos tam fuisse familiares, vt qui stiuam aratri teneret, Dauidicum aliquid cantaret.

16. Pro Christo Rege & Messia nostro misso in hunc mundum, æternas Deo gratias agamus.

17. Christum esse autorem pacis & victorem Diaboli, credamus. Sic enim in spiritu ramos palmarum ei offeremus.

DETESTATIONES XV.

1. Non fugiamus nec auersemur crucem sanctam, quam Christus nobis imponit.

2 Non disputemus de difficultate mandatorum Dei, sed quæ in mandatis habemus, diligenter faciamus, & qui nos vocauit, felices etiam successus dabit.

3. In Scholis & Ecclesia non negligamus paruulos. Vult enim Christus eos etiam sibi adduci, cum inquit: Adducite asinam & pullum.

4. Non absterreamur aut impediamur mundi contradictionibus, quò minus faciamus, quicquid officium nostrum exigit.

5. Non dubitemus de certitudine verbi diuini. Oportet enim impleri omnia, quæ prædicta sunt.

6. Non impediamus eos, qui Euangelii ministerio funguntur. Non solum enim irriti

erunt conatus noſtri, ſed pœnam etiam merentur.
7. Humilitate & paupertate Chriſti, quam hodie adhuc in membris eius cernimus, non offendamur.
8. Non ſimus arrogantes aut ſuperbi. Chriſtus enim effecturus res maximas in ſpecie humillima ſe conſpiciendum præber.
9. Vt regnum Chriſti, ita vis huius regni abſcondita eſt. Non ergo extenuemus verbi & Sacramentorum efficaciam.
10. Chriſto aſinam noſtram nõ denegemus.
11. Non grauemur propter Chriſtum ſuſtinere labores, & noſtras inſuper etiam erogare facultates, imo in caſu confeſſionis animam ipſam pro Euangelio ponere.
12. Aſino Chriſti pabulum non detrahamus, hoc eſt, non rapiamus ad nos bona Eccleſiæ, & interea Chriſtum cum Euangelio demittamus inanem.
13. Reges & Principes mundi non præcludant viam Domino.
14. Non promiſcuè omnes doctores, ſed venientes in nomine Domini ſuſcipiamus.
15. Chriſto cœleſti Regi, non nos opponamus, vt Iudæi excæcati fecerunt.

DOMINICA II. ADVENTVS

Euangelium Lucæ 21.

Et

Et erant signa in Sole & Luna, &c.

QVÆSTIONES SIMPLICES XXVI.

1. DE extremo iudicio.
2. De signis præcessuris.
3. De fine horum signorum.
4. De signis cœli in genere.
5. De Solis, Lunæ & reliquarum stellarum significationibus.
6. De anxietate & calamitatibus hominum ante diem iudicii.
7. De tremore & angustiis impiorum.
8. De diuersis metus causis.
9. De iis, quæ ventura sunt in terris.
10. De virtutibus cœli.
11. De motu harum virtutum.
12. De aduentu Christi ad iudicium.
13. De Christi potestate & gloria.
14. De fiducia & fortitudine piorum in die iudicii.
15. De extremi iudicii fine, qui erit nostra redemptio.
16. Qualis sit futura illa redemptio.
17. Collatio vitæ præsentis & futuræ, exsimilibus de hyeme & æstate.
18. De regno DEI.
19. De qua generatione Christus loquatur

dicens: Generatio hæc non præteribit.

20. De transitu cœli & terræ.

21. De perpetuitate & certitudine verbi diuini.

22. De aggrauatione cordis humani, qualis & vnde sit.

23. De forma Aduentus, vel de incertitudine horæ, qua Christus veniet.

24. De precationis dignitate, necessitate & efficacia.

25. De dignitate eorum qua ante Christum standum erit, qualis & vnde sit.

CONIVNCTAE SVNT XIX.

1. An liceat obseruare signa cœli, & an concessa sint Christianis studia Mathematica?

2. An ex signis præcedentibus de hora & die extremi Iudicii certum aliquid colligi possit?

3. An pressura gentium, de qua Christus hic loquitur, etiam de piis accipienda sit?

4. Quòd mœstitia piorum etiam referri debeat inter signa finis mundi.

5. Quòd Deus non velit, vt quisquam pereat. Ideo enim prænunciat futura mala, ut ea effugiamus.

6. An sine peccato diem extremum metuere possimus?

7. Quòd signa quædam longo tempore præcedent diem iudicii, quia dicitur: Præ

expe-

expectatione tabescent &c.

8. Quòd Christus certò sit rediturus ad iudicium.

9. Et quòd sit venturus forma visibili.

10. Quòd afflictiones nostræ non casu, sed Deo sciente eueniant.

11. Quòd prædictiones de fine mundi sint certissimæ.

12. Quòd post diem iudicii pii habituri sint æternum gaudium in regno Dei.

13. Quòd hic mundus non sit æternus. Vt enim certo tempore cœpit, ita rursus transibit.

14. An Christus veniens ad iudicium, viuos & superstites adhuc in terra homines inuenturus sit.

15. Quòd pii in vita futura accepturi sint præmia & laborum suorum fructus magnos.

16. An liceat esse occupatũ curis huius vitæ?

17. An & quatenus liceat fugere ventura mala?

18. Quòd Deus inuocantibus velit mitigare mala.

19. An ex nobis sit dignitas, qua in die iudicii consistemus?

ADHORTATIONES XV.

1. Signa cœli obseruemus & ventura prænunciare mala credamus.

2. Aspectu signorum veram in nobis pœnitentiam excitemus.

3. Militemus bonam militiam, retinentes fidem & bonam conscientiam. Non enim maior est anxietas, quàm conscientiæ reatus.

4. Ad diem iudicii tempestiuè nos præparemus, ne imparatos nos opprimat.

5. In omnibus calamitatibus hac nos spe erigamus, quòd tandem CHRISTVS redemptor noster in gloria & potestate rediturus sit.

6. Finem mundi cum gaudio expetamus & expectemus.

7. Vitam æternam huic temporali longè præferamus. Hæc enim hyemi tristi, illa verò æstati assimilatur.

8. Molestias huius vitæ ideò etiam moderatius feramus, quòd elapsa hyeme in æstate vitæ futuræ suauissimos fructus colligemus.

9. Omnia, quæ in verbo Dei continentur, verissima esse credamus. Verbum enim Dei non transibit.

10. Postremis hisce nostris temporibus sobriè & sanctè viuamus.

11. Diem iudicii singulis horis & momentis expectemus. Ideo enim certum tempus præfinitum non est, vt omni tempore expectemus.

12. In omnibus noſtris periculis firmiſſimum præſidium noſtrum ſit præcatio. Promittitur enim mitigatio malorum inuocantibus.

13. Vigilemus etiam, quia vt laqueus dies extremus veniet.

14. Petamus nos à Chriſto donari ea dignitate, qua in die iudicii opus erit.

15. Ventura mala, quatenus bona conſcientia poſſumus, fugiamus.

DETESTATIONES XIII.

1. Signa cœli cum Epicuræis & impio mundo non rideamus.

2. Cum videmus poſtremo hoc ſeculo augeri calamitates Eccleſiæ, non miremur. Sic enim Chriſtus prædixit.

3. Non offendamur, vt Iudæi, Chriſti paupertate & humilitate: Qui enim natus eſt miſerè, vixit calamitosè, & mortuus eſt ignominiosè, reſurrexit in gloria, & veniet cum poteſtate magna.

4. Non quæramus gaudia mundi, nec conpunctiones cordis noſtri illicitis modis excutiamus. Vult enim Chriſtus nos eis affici, & ad pœnitentiam vocari.

5. Vitæ noſtræ prorogationem contra DEI voluntatem non expetamus, quia circa finem mundi maior erit calamitas, quàm fuit antea vnquam.

6. Mor-

6. Mortem non nimium formidemus. Est enim transitus ex hyeme, ad æstatem lætissimus.

7. Non polliceamur nobis in hac vita ante diem extremum finem malorum. Tunc enim tandem totalis nostra redemptio appropinquabit.

8. Diuites non ponant nimiam in opes suas fiduciam. Totus enim hic mundus cum omni sua gloria transibit.

9. Prædictiones de die iudicii futuri non videamus.

10. Nec alias etiam in verbo Dei expressas comminationes negligamus. Verbum enim Dei non transibit.

11 Non grauentur corda nostra crapula & ebrietate. Væ enim seruo illi, quem cum uenerit Dominus, inuenerit edentem & bibentem.

12. Non nimium etiam nos curis huius vitæ implicemus. Repentè enim, & vt laqueus, dies iudicii superueniet.

13. Non putemus nos propria dignitate permansuros in iudicio. Necesse enim erit, vt à Deo digni efficiamur.

DOMINICA III. ADVENTUS Euangelium Matth. 11.

Cum

Cum autem audisset Iohannes in carcere &c.

QVÆSTIONES SIMPLICES XXIII.

1. DE Iohanne Baptista, & eius curriculo.
2. De captiuitate Ioannis & eius causis.
3. De insatiabili odio Diaboli & mundi, aduersus fideles verbi Doctores, & omnes rectè monentes.
4. De ablegatione discipulorum Ioannis & eius causa.
5. De duplicibus in Ecclesia infirmis, docilibus & indocilibus.
6. De origine quæstionis discipulorum.
7. De eo, qui venturus erat in mundum.
8. De responso Christi & eius intellectu.
9. De vera Christi agnitione, petenda ex verbo & miraculis eius.
10. De fine miraculorum Christi.
11. De Euangelio Christi.
12. De pauperibus Euangelizandis.
13. De Ecclesia, qualis sit cœtus.
14. De scandalis duplicibus, datis & acceptis.
15. De fidelitate Ioannis, & omnium ministrorum.
16. De natura infidelium doctorum, & adulatorum, quæ in simili de arundine egregiè depingitur.
17. De

17. De aulis.
18. De aulicis & eorum proprietatibus.
19. De Prophetis.
20. De fine ministerii, qui est parare viam domini.
21. De via Domini.
22. De præparatione huius viæ.
23. De Angelo præeunte dominum, quis fuerit.

CONIVNCTAE XII.

1. Quòd mundus fidelibus ministris non soleat aliud præmium soluere, quam fuit præmium Ioannis Baptistæ, qui propter veritatem incarceratus tandem prorsus decollatur.
2. Quòd vera beatitudo piorũ de hoc mundo non sit. Hic enim pressuram, in futura autem vita æterna habebunt gaudia.
3. An Ioannes de Christo dubitauerit?
4. Quòd discipuli legis in perpetuo mansuri sint dubio, nisi ad Christum ablegentur.
5. Quòd ab initio mundi, semper à sanctis patribus Messias expectatus sit.
6. An Christus sit ille ipse Messias?
7. Quòd Christus verè tollat peccatum, cum vi propriâ omnes peccatorum effectus sustulerit.
8. An & quibus pauperibus sit prædicandum Euangelium?
9. An Christus taxans auditorum vitia, aulas

ipsas

ipsas & vitam aulicam prorsus damnet.

10. An bona conscientia homo pius in aula versari possit?

11. An & cur Ioannes fuerit maior Prophetis?

12. Quòd Ioannes Baptista fuerit angelus ille, in Malachia Propheta promissus.

ADHORTATIONES XV.

1. Fideles ministri veritatem intrepidè confiteantur, & peccata mundi infracto animo ad carcerem vsque reprehendant.

2. Sint etiam ad finem & extremum habitum vsq; de grege sua soliciti, sicut Ioannes hic in carcere magis discipulorũ profectum, quam propriam salutem curat & quærit.

3. Debebant etiam diuites in extremis de Ecclesiæ conseruatione esse soliciti, & aliquid bonorum suorum ad pios vsus conferre.

4. Infirmos in fide suscipiamus, & dociles erudiamus.

5. Liberi, serui & omnes homines sinant se ablegari ad Christum & conciones sacras.

6 Potissima nostra cura sit, vt Christum omnib. seculis expectatum rectè agnoscamus.

7. Exempturi ex hominum animis dubium de Christo, doctrinam & miracula eius coniungamus.

8. Cæcis, claudis, leprosis & aliis afflictis, pro modulo nostro benefaciamus.

9. Pau-

9 Pauperes ſpiritu & turbatas conſcientias voce Euangelii erigamus.

10. De fidelibus Eccleſiæ miniſtris bene ſentiamus, & loquamur.

11. Innocentes, de quibus falſæ oriuntur ſuſpiciones, excuſemus.

12. Accepturi laudem à Domino, ſeruiamus fideliter non hominibus ad placitum, ſed ſecundum formam in verbo Dei præſcriptam.

13. Fideles miniſtri eo omnes ſuas conciones dirigant, vt via domino paretur, hoc eſt, vt concione legis in cordibus hominum agnitio peccati & verum Chriſti deſiderium excitetur.

14. In omnibus difficultatibus hac ſe Eccleſiæ doctores ſpe ſuſtentent, quòd Chriſtus ſuorum etiam in carcere non obliuiſcitur.

15. Laudem debitam ſanctis, viuis & mortuis, ſine idolatria tribuamus.

DETESTATIONES XIII.

1. Non grauemur propter Chriſtum carcerem & alias perſecutiones ſuſtinere, cùm Ioannis Baptiſtæ, inter natos mulierum maximi, fortuna non fuerit melior.

2. Non odio habeamus eos, qui veritatem nobis dicunt. Contra ſtimulum enim calcitrant, qui fideles doctores perſequuntur.

3. Non diſſimulent Eccleſiæ miniſtri, ſi quos

inter

inter auditores suos habent in fide infirmos, sed quibus possunt modis eos confirment.

4. Non dubitemus Christum exaltatum ad dextram patris, posse nos in omni calamitate exaudire & iuuare, cùm in forma serui nullas non infirmitates sanauerit.

5. Non absterreant nos peccata nostra, quò minus cum fiducia ad thronum gratiæ accedamus. Quia ad miseros peccatores prædicatio Euangelii pertinet.

6. Non damnemus, vt Papistæ, Euangelium ideo, quòd miseris peccatoribus gratiam annunciet. Vult enim Deus prædicari pauperibus Euangelium.

7. Non offendamur humili Christi specie. Beatus enim erit, qui non scandalizatus fuerit in ipso.

8. Ministri verbi non adulentur impio mundo, nec tempore persecutionis se ad nauis latus felicius inflectant.

9. Non in faciem laudemus nos inuicem, sed vt Christus hoc loco facit, absens absentem.

10. Reges & Principes non facilè cuiuis credant. Semper enim in aulis multi erunt adulatores.

11. Non vestiamur mollibus, hoc est, non fugiamus malâ conscientiâ pericula, nec metu eorum veritatem reticeamus.

12. Fugiamus, dum possumus, aulas, quia in

eis hæc duo vitia, luxus & adulatio, maximè dominantur.

13. Non quæramus aut expetamus doctores flexiloquos aut blandientes. Arundini enim innititur, qui eiusmodi hominib. delectatur.

DOMINICA IIII. ADVENTUS, Euangelium Ioh. 1.

Miserunt Iudæi ab Hierosolymis &c.

QVÆSTIONES SIMPLICES XVIII.

1. DE testimonio Ioannis.
2. De odio Iudæorum aduersus Christum. Ex eo enim hæc ablegatio procedit.
3. De eorundem malitia & astutia.
4. De Messia.
5. De Elia.
6. De propheta Mosi promisso, Deut. 18.
7. De ministerio & curriculo Ioannis.
8. De ministerio Euangelii, quid sit, ex dicto: Sum vox clamantis &c.
9. De pœnitentia.
10. De ordinaria potestate & successione.
11. De Ecclesia tempore Iohannis, quænam fuerit.
12. De legitima vocatione ministrorum.
13. De ordinatione & approbatione.

14. De

14. De baptismo Christi & Iohannis, & discrimine eorundem.
15. De efficacia ministerii, vnde sit.
16. De Christi persona & officio.
17. De excellentia & dignitate Christi, præ omnibus aliis Prophetis & Apostolis.
18. De pertinacia & cæcitate Iudæorum, qui spreto testimonio Ioannis de Christo, hostili animo discedunt.

CONIVNCTAE XXIII.

1. An Iudæi bono animo & consilio, suos ad Ioannem ablegauerint, & an tam magnificè, vt verba sonant, de ipso senserint.
2. Cur Ioannes neget se esse Eliam, cùm tamen Christus Matth. 11. expressè dicat, illam de venturo Elia Prophetiam, de Ioanne Baptista accipiendam esse.
3. Quòd etiam Iudæi datam Mosi de venturo Propheta promissionem, de Messia intelexerint.
4. Quòd Ioannes fuerit præcursor ille, quem Prophetæ Messiæ aduentum præcessurum dixerunt.
5. Quòd Christus verè sit ille promissus Messias & Propheta magnus.
6. Quòd per prædicationem Euangelii paretur in cordibus hominum via Domini.
7. An verbum vocale sit mortua tantum litera, an verò habeat suam aliquam efficaciam?

8. Quòd Christus venire & mansionem facere velit in cordibus contritis & tenentibus sermones suos.

9. An liceat nonnunquam discedere ab ordinaria in Ecclesia potestate?

10. An Iohannes docens & instituens nouas ceremonias, sine consensu & approbatione ordinariæ tunc potestatis, recte fecerit?

11. An liceat cuiuis receptos in Ecclesia ritus mutare & alios nouos instituere?

12. An liceat administrare Sacramenta eis, qui non legitimè vocati sunt?

13. An mulieres etiam in casu necessitatis baptizare possint & debeant?

14. An & quomodo differant baptismus Christi & Ioannis?

15. Quòd Christus sit verus & æternus Deus.

16. Quomodo Christus ante Ioannem fuerit, & tamen post ipsum venerit.

17. Cur Ioannes non æstimet se dignum, soluere corrigiam calceamentorum Christi.

18. Quòd Ecclesia & pii doctores in hoc mundo, domicilia sua habeant in deserto & perpetua ferè patiantur exilia.

ADHORTATIONES XIII.

1. Ad constantiam & fortitudinem in confessione veritatis. Ioannes enim neque blanditiis neque minis mouetur, quò minus, Chri-

Christum Messiam esse, liberè confiteatur.
2. Probemus quidem spiritus & de nouis doctoribus diligenter inquiramus, non tamen corde peruerso, vt Iudæi faciebant.
3. De Messia omnes homines certos esse oportet. Colligamus ergo testimonia, quæ Christum illum ipsum esse testantur.
4. Ministri verbi agnoscant se esse vocem clamantem, & nihil præbere Deo, præter ministerium vocis. Ipsum verò operari omnia in omnibus, & propterea ab ipso se regi & adiuuari petant.
5. Eò omnes suos neruos ministri intendant, vt occlusis diabolo viis, soli Christo via in mundo paretur.
6. Aperiant etiam auditores Christo viam cordis sui, & venientem cum gaudio suscipiant.
7. Propter Christum odia, probra, & nullas non persecutiones patienter feramus.
8. Ministros de vocatione sua certos esse necesse est, sicut Ioannes hoc loco, ex Esaiæ Prophetæ testimonio ministerium suum defendit.
9. Christi gloriam etiam cum suo periculo fideles ministri quærant & propugnent.
10. Ad humilitatem veram. Ioannes enim inter natos mulierum maximus ita se demittit, vt indignum se iudicet, qui CHRISTO

vilissimam saltem operam præstet.

11. Moniti exemplo Ioannis etiam acerrimis nostris hostibus fideli institutione inseruiamus, & non exitium sed salutem eorum quæramus.

12. Omnem nostram iustitiam extenuemus, & pro re vilissima reputemus, vt modò Christum lucrifaciamus.

13. In ministerio nostro omnes occasiones diligenter obseruemus & captemus, sicut Ioannes. Ideo enim in Bethabara, vbi fluuii transitus erat, baptizabat, quòd magna ibi hominum multitudo quotidie conueniebat.

DETESTATIONES XIIII.

1. Ambitionis, quæ est pestis maxima, præsertim in Ecclesiæ ministris. Non ergò suam, sed Christi gloriam quærant & propugnent.

2. Honoribus oblatis non finamus nos à via veritatis abstrahere.

2. Non ingeramus nos non vocati vel ad politica vel Ecclesiastica officia.

4. Non loquamur dolosè verba bona ex corde malo & peruerso, vt legati Iudæorum faciebant.

5. Non moueamur vociferationib. & splendidis titulis eorum, qui ordinariam successionem & autoritatem humanam puritati doctrinæ anteponunt.

6. Ex-

6. Exeamus ab eis, qui errores pugnantes cum verbo Dei defendunt, etiamsi in Cathedra Mosi sedent.

7. In diiudicatione doctrinarum non vertamus oculos ad personas vel potestatem earum, sed secundum normam verbi diuini probemus spiritus.

8. Ministri non magnificè de se sentiant vel prædicent, sed sufficientiam suam ex solo Deo esse agnoscant & fateantur.

9. Non sinamus frustra clamare vocem in deserto, sed vocantes nos ad Christum, audiamus & sequamur.

10. Non audiamus eos, qui neq; vocati neq; missi à Deo currunt.

11. Eos verò, qui ordinationis & vocationis suæ legitima testimonia habent, propter humilem aspectum non negligamus.

12. Baptismi efficaciam in paruulis non negemus, vt Anabaptistæ faciunt. Semper enim in medio nostri stat Christus, qui spiritu & igne baptizat.

13. Non extollamus nos coram Christo. Humiliabitur enim, qui se exaltat.

14. Hominibus piis non insidiemur, nec laqueos ponamus. Incidunt enim legati Iudæorum in foueam, quam fecerunt, & dum Ioannem astu euertere conantur, iram Dei sibi cumulant. Audiunt enim insignem de

Christo confessionem, cuius contemptum in omni æternitate non poterunt excusare.

DOMINICA POST NATALEM, Euangelium Luc. 2.

Et erat pater & mater eius mirantes &c.

QVÆSTIONES SIMPLICES XXV.

1. DE admiratione Mariæ & Ioseph.
2. De variis testimoniis datis Christo.
3. De Simeone.
4. De benedictione Simeonis.
5. De Christi officio.
6. De ruina.
7. Et de resurrectione multorum in Israël, & vtriusq; veris causis.
8. De contradictoribus Christi.
9. De gladio penetrante cor Mariæ.
10. De ærumnis & afflictionibus Ecclesiæ.
11. De odio diaboli aduersus Christum.
12. De hypocrisi mundi.
13. De reuelatione cogitationum cordis.
14. De Hanna Prophetissa.
15. De castitate in genere.
16. De virginitate.
17. De coniugio.

18. De

18. De viduis.
19. De vero Dei cultu.
20. De ieiunio.
21. De precatione.
22. De confessione & testimonio Hannæ.
23. De redemptione Israël, qualis expectata fuerit.
24. De lege, propter quam Maria iter suum Hierosolymam versus susceperit.
25. De incremento sapientiæ & gratiæ in Christo.

CONIVNCTAE XXII.

1. Quòd Iesus filius Mariæ verè sit ille promissus Messias.
2. Quòd Deus omnibus temporibus sibi aliqua veræ Ecclesiæ membra conseruauerit.
3. Quòd in Ecclesia semper bonis multi admixti sint mali.
4. An Deus hoc fine miserit filium suum, vt multi in eo impingant & cadant?
5. An Deus æquè velit aliquos cadere, ac alios in Christo resurgere?
6. An necesse fuerit multos labi & offendi in Christo?
7. An Christus sit causa ruinæ multorum, & quomodo in scriptura lapis offensionis dicatur?
8. An velit Deus omnes homines saluari?

9. An contradictiones sint ex Deo.
10. Quòd non sit talis somnianda Ecclesiæ tranquillitas quæ omni dissensione careat. Quia Christus semper positus erit in signum, cui contradicitur.
11. An causæ distractionum possunt imputari Christo & Euangelio eius?
12. Quòd in solo Christo resurgamus ex peccatis ad vitam æternam.
13. Quòd regnũ Christi nõ sit de hoc mundo.
14. Quòd Ecclesia in hac vita semper sit subiecta cruci.
15. Quòd coram Deo etiam abscondita cordis non sint ignota.
16. Quòd Spiritus sanctus etiam in piis coniugibus habitare & efficax esse velit.
17. An Hanna fide in Christum, an verò vitæ suæ sanctimonia saluata sit?
18. An Moniales vitæ suæ statum ex hoc Hannæ exemplo satis probare possint?
19. Quòd omnibus seculis in Israël redemptor & saluator expectatus sit.
20. An Papistarum ieiunium ex Hannæ exemplo comprobari possit?
21. Quòd pii in veteri testamento eadem qua nos, fide saluati sint.
22. Quòd Christus sit verus homo, & non tantum æras, sed dona etiam sapientiæ & gratiæ in ipso, vt in aliis hominibus, ceruerint.

AD-

ADHORTATIONES XVIII.

1. Quæ de Christo in scriptis Propheticis & Apostolicis extant, legamus & in fide admiremur.

2. Parentes obseruent, quæ de liberis suis dicuntur, & si mala sunt, corrigere ea studeant.

3. Fortitudinem & constantiam Simeonis & Hannæ in confitendo Christo sequamur.

4. Christū tot testimoniis declaratū, credam⁹ esse verum Messiam & fide ipsum suscipiam⁹.

5. Benedicamus, hoc est, omnia felicia Christo & regno eius precemur.

6. De venturis calamitatibus subinde nos inuicem præmoneamus.

7. Semper nos adiungamus ei cætui, qui Christum confitetur, quantumuis exiguus & humilis in oculis nostris sit.

8. Ecclesia semp meditetur & grata mēte celebret beneficia Dei in Christo nobis exhibita.

9. Omnes miseri peccatores conentur in Christo, dato saluatore, resurgere.

10. Sufferamus æquo animo mundi iniurias & probra. Quia etiam Mariæ pectus pertransiuit gladius.

11. Omnes mulieres imitentur Hannæ exemplū, & quæ nam virtutes sexum hunc maximè deceant, in ea tanquam lucidissimo speculo contemplentur.

12. Viduæ sint castæ, sobriæ.

13. Ad sobrietatem, preces & alia bona opera in genere.

14. Faciamus bona opera, sed ita, ne fiduciam nostram in alium, quàm redemptorem Israëlis, ponamus.

15. De Christo cum aliis sæpe multumque conferamus.

16. Pias Ecclesiæ ceremonias & totum ministerium nostrâ præsentia, & quibus insuper possumus modis, ornare & conseruare studeamus.

17. Peracto cultu diuino, singuli domum redeant & labores vocationis suę probè curent.

18. Parentes petant liberis suis dari gratiam à Deo, vt crescant non in malitia, sed sapientia & pietate.

DETESTATIONES XIII.

1. Non rideamus, sed potius cum gratiarum actione adoremus, si qua ratione ignota mysteria, sacra scriptura proponit.

2. Cùm Euangelista Lucas Prophetiam Simeonis de futuris Mariæ ærumnis, benedictionis titulo ornet, non accipiamus pro significatione iræ aut maledictione crucem sanctam.

3. Conciones de cruce non prætereamus, sed data occasione subinde eas nostris auditoribꝰ inculcemus. Mala enim præuisa minus nocẽt.

4. Non

4. Non miremur, multo minus conturbemur, si hodie adhuc multos audimus Christo contradicere.

5. Caueamus, ne impingentes in lapide offensionis in æternum ruamus exitium.

6. Impii causam ruinæ & perditionis suæ non transferant in Deum, sed potius in peruersitatem suam, vt Hoseæ decimoquarto dicitur: Rectæ sunt viæ Domini & iusti ambulabunt in eis, præuaricatores autem corruent in eis.

7. Abstineamus à contradictionibus & frenum nostræ rationi injiciamus, si quando se expressis Christi verbis opponere voluerit.

8. Non offendamur, si hodie adhuc piorum pectora variis ærumnis, tanquam gladio scinduntur. Sic enim oportet cordium cogitationes reuelari.

9. Fugiamus Hypocrisin. Manifestantur enim tandem prauæ cogitationes & simulationes cordis peruersi.

10. Viduæ, imò omnes fœminæ, fugiant intemperantiam, vt pestem omnis honestatis.

11. Non existimet sexus muliebris studium religionis ad se non pertinere. Sed Christum cognoscere, & aliis etiam, præsertim domesticis, reuelare studeant.

12. Non vituperemus coniugium, nec immodicis laudibus cælibatum efferamus. Possunt

sunt enim & pii coniuges templum Spiritus sancti esse.

13. Non putemus externam morum honestatem ad veram salutem sufficere. De Hanna enim vtrunq; dicitur, quod fidem & bonam conscientiam retinuerit.

DOMINICA I. EPIPHANIAS

Euangelium Lucæ 2.

Et ibant quotannis parentes eius &c.

QVÆSTIONES SIMPLICES XXIIII.

1. DE lege Mosaica in genere.
2. De lege ceremoniali.
3. De festis veteris testamenti.
4. De Paschate.
5. De vero Dei cultu.
6. De templo Hierosolymitano, & cur Deus vnum tantum in populo suo templum esse voluerit.
7. De parentibus.
8. De liberis & vtrorumq; officio.
9. De obedientia præstita legi per Christum.
10. De officio Christi.
11. De infirmitate & peccatis sanctorum.
12. De discrimine peccatorum venialium &

13. De cruce.
14. De dolore parentum, quem ex amissione vel calamitate sobolis sentiunt.
15. De diuina Christi sapientia, & vero scripturæ intellectu, vnde fuerit.
16. De doctoribus Iudæorum, qui & quales fuerint.
17. De Christi interrogationib. & responsis.
18. De admiratione parentum.
19. De diuina & humana Christi natura.
20. De quo patre loquatur Christus dicens: Oportet me esse in his &c.
21. De pueritia Christi.
22. De studio & diligentia Mariæ, in custodiendis verbis Christi.
23. De incremento donorum Christi.
24. De gratia, qua Christus apud Deum & homines profecit.

CONIVNCTAE XIX.

1. An Christus obligatus fuerit ad obedientiam Mosaicam?
2. An puer IESVS remanens Hierosolymis, inconsultis parentibus, peccauerit?
3. An & quatenus liberi imitari hoc Christi exemplum debeant?
4. An liberi inobedientiam suam hoc Christi facto excusare possint?
5. Quòd etiam in sanctis reliquæ sint multiplices

plices infirmitates: Negligentia, ſecuritas, ignorantia, &c. & ſimiles, quæ perpetua condonatione opus habent.

6. Quòd Chriſtus hodie adhuc ſeſe interdum ad tempus occultare ſoleat, vt fidem noſtram probet, & ſecuritatem humanam redarguat.

7. Quòd Chriſtus in ſola Eccleſia quærendus ſit.

8. Quòd quærentes Chriſtum in Eccleſia, monſtrante verbo, certò eum inuenient.

9. An deceat pueros immiſcere ſe cœtui doctorum, & eoſdem etiam interrogare?

10. Quòd de doctrinæ articulis etiam cum aduerſariis conferre liceat.

11. Quòd Chriſtus diuina præditus fuerit ſapientia.

12. Quòd hoſtes veritatis tandem confundantur, ſicut hic ſummi in templo doctores ad pueri quæſtionem obſtupeſcunt, nec ſapientiæ eius reſiſtere valent.

13. An Chriſtus dicens: Quid eſt, quod quærebatis me? matris ſuæ iuſtum dolorem, curam & ſolicitudinem improbauerit?

14. An Chriſtus durius reſpondens matri, rectè fecerit.

15. An liberi ſuam irreuerentiam & immodeſtiam hoc exemplo velare poſſint.

16. An Maria & Ioſeph ignorauerint puerum

rum Iesum esse filium Dei? cum hic dicatur eos non intellexisse sermonem: Oportet me esse &c.

17. An & quomodo Christus creuerit gratia apud Deum, cum ab initio summè diligeretur à patre & ad fauorem Dei erga ipsum nihil accedere potuerit?

18. Quòd Christus sit verus Deus & homo verus.

19. Quòd dona spiritualia excitentur & confirmentur vsu & exercitatione.

ADHORTATIONES XXIII.

1. Legi diuinæ, quatenus nos obligat, obedientiam præstemus.

2. Ceremonias diuinitus institutas seruemus.

3. Publicos in Ecclesia congressus, nostrâ præsentia tueamur.

4. Parentes liberos suos à iuuentute ad pietatis exercitia assuefaciant.

5. Domi etiam eos in disciplina & correptione Domini fideliter educare studeant.

6. Reddamus quæ sunt reddenda Deo, sine respectu personarum & periculorum.

7. Parentes in liberos suos diligenter attendant, in Ecclesia & domi, nec hinc inde eos vagari sinant.

8. Paruuli etiam sinant se in templum Dei ducere & ablegare.
9. Obseruent etiam diligenter ea, quæ in Ecclesia proponuntur.
10. Et si qua non statim assequuntur, ab aliis vberiorem explicationem modestè quærant.
11. Ministri verbi placidè inter se sententias conferant, & communi studio veritatem inquirant.
12. Christum semper & perpetuò nobiscum retinere conemur.
13. Quòd si verò ad tempus sese abscondere videtur, anxiè & diligenter eum quæramus.
14. Quæramus autem eum ibi, vbi verbum Dei purè docetur. In templo enim Domini & fasciis S. scripturæ, hodie adhuc inuenitur.
15. Admiremur & cum gaudio audiamus melliflua Christi labia, & salutarem doctrinam inde promanantem.
16. Parentes in educatione liberorum seruét modum iustum, & cum verbis blandis semper disciplinæ seueritatem coniungant.
17. Reprehendant etiam eos verbis, vbi opus est. Attamen sine conuitiis & execrationibus diris.
18. Christū corde fideli custodiamꝰ. Eo enim amisso, nil nisi dolor & lachrymæ superiunt.
19. Liberi præstent parentibus debitam obedientiam, & subiiciant se eis cum reuerétia & timore.

20. Ita

20. Ita tamen, vt in vniuersum omnes magis obediamus Deo, quam hominibus. Cum enim vellent prohibere studium veræ doctrinæ, confessionem & alia bona opera à DEO mandata, non est eis obediendum.

21. Conciones de Christo memori mente reponamus, & in corde nostro fideliter custodiamus.

22. Dei dona, vsu & exercitatione in nobis resuscitemus. Fiunt enim languidiora & prorsus extinguuntur negligentia.

23. Studeat iuuentus proficere gratia apud Deum & homines pios.

DETESTATIONES XVII.

1. Contemtus verbi, qui adeo nunc inualuit, vt multi Christum in foribus clamantem non audiant, nec sacras conciones visitent, cùm tamen hic audiamus, Mariam cum Iosepho per multa miliaria Hierosolymam ascendisse.

2. Negligentiæ parentũ, qui liberos pluriũ quam duodecim annorũ natos, neq, ad pietatẽ, neq; ad alia honesta exercitia assuefaciunt.

3. Securitatis humanæ, quæ Christum sua culpa sæpe amittit.

4. Petulantiæ liberorum, qui sese sine iusta & honesta causa sæpe subducunt, & parentum curas augent.

5. Parentes non deponant debitam liberorum solicitudinem & curam.

6. Peruersitatis, quæ in iuuentute nostra cernitur. Dum enim Christus in templo remanet, doctores audit & interrogat, plerique ex liberis nostris crebrius inter compotatores & lusores, quàm in Ecclesia inueniuntur. Et quòd si coacti eò veniunt, non diu manent, aut si manent, sine animi attentione sedentes aut confabulantur aut dormiunt.

7. Parentes intempestiua de liberis solicitudine non nimium torqueantur, nec nimia etiam negligentia langueſcant.

8. Si quando Christus absconditus nobis videtur, non prorsus amissum eum esse putemus, sed apud patrem pro nobis intercedere credamus.

9. Dolores animi & conscientiæ sedaturi, Christum in verbo quæramus, & inuentum cum gaudio suscipiamus.

10. Iuuenes non interturbent sua importunitate seniorum sermones, sed attentè audiant, & vbi opus est, modestè se edoceri petant.

11. De his, quæ ignoramus, inquirere non erubescamus.

12. Iuuenes rectè docentes, propter iuuentutem nemo despiciat.

13. Non tamen etiam iuuenes imparati, sese ad munus docendi ingerant. Non enim omnes Christo sunt similes.

14. Paren-

14. Parentes ad liberorum delicta non connitentur, sed reprehendenda iusta seueritate reprehendant.

15. Sicut Christus matrem de ignorantia sua admonet dicens; An nescitis quod oportet me esse &c. Ita nos errantes tempestiuè & placidè admoneamus.

16. Liberi sine probabili & sufficiente causa, neque verbis neque factis parentes suos offendant.

17. Iuuenes non negligant aliorum de se iudicia, multo minus malitia, inscitia & odio apud Deum & homines crescant.

DOMINICA II. POST EPIphanias, Euangelium Ioh. 2.

Et tertio die nuptiæ fiebant in Cana Galilææ &c.

QVÆSTIONES SIMPLICES XVII.

1. DE nuptiarum origine, ceremonijs, forma & finibus.
2. Qui & quales sint inuitandi ad nuptias.
3. De Sponso & Sponsa, & eorum officio.
4. De coniugio.
5. De coniugibus.
6. De cruce piorum coniugum.

7. De inuocatione & exercitiis fidei interorandum.
8. De purificatione Iudæorum.
9. De hydriis & earum capacitate.
10. De muneribus dandis nouis coniugibus.
11. De miraculis in genere & huius præsentis allegoria.
12. De diuina Christi potentia.
13. De apparatu, qualis in nuptiis esse debeat.
14. De pio vsu vini & aliorum donorum Dei.
15. De gaudio duplici, licito & illicito.
16. De fine huius præsentis & omnium aliorum miraculorum Christi.
17. De effectu eorundem.

CONIVNCTAE X.

1. Quòd omnibus temporibus apud homines rectè sentientes, coniugium honorabile habitum, & nuptię conuenientibus ceremoniis celebratæ sint.
2. Quòd nuptiis interesse, & moderatè gaudere, piis etiam hominibus concessum sit.
3. Quòd coniugium sit ordinatio Dei, & vitę conditio ipsi gratissima, siquidē etiam Christus nuptiis interesse non dedignatus est.
4. Quòd coniugium omnibus hominibus ad hoc idoneis, à Deo concessum & liberum sit.
5. An copulatio coniugum omnibus temporibus,

ribus, vt nunc vsitatum est, in Ecclesia publicè facta sit?

6. An Christus matrem tam duro responso dimittens recte fecerit?

7. Quòd Christus sit verus Deus & Dominus creaturarum, easq; pro bona sua voluntate augere, minuere & mutare possit.

8. An Christus mutans aquam in vinum, ebrietati occasionem præbere voluerit?

9. An excuset ebrios hoc, quod hîc dictum est: Cum inebriati fuerint &c.

10. Quòd fides in Christum ex miraculis confirmari possit & debeat.

ADHORTATIONES XVIII.

1. Coniugium cum ardenti inuocatione Dei ideo etiam inchoemus, quòd multæ & variæ sunt piorum coniugum ærumnæ, quas sustinere difficile est eis, qui sine precatione cæco furore, vt bruta, in quibus non est intellectus, conueniunt.

2. Christum inuitemus ad nuptias, & ab ipso protegi & omnes aduersitates nostras mitigari petamus.

3. Vocemus ad nuptias homines pios, qui vna nobiscum pro felici & tranquillo coniugio Deum inuocare possunt.

4. Inuitati ad nuptias, nostra eas præsentia & virtute ornare studeamus.

5. Nouorum coniugum inopia & paupertate afficiamur, & qua possumus ratione, eis consulamus.

6. Intercedamus etiam pro ipsis, precibus nostris apud Deum.

7. In rerum penuria ad Christum confugiamus, qui cessantibus omnibus humanis præsidiis abundè dare potest.

8. Protrahente verò ipso opem suam, perseueremus in fide & precatione. Cum enim hora aderit, veniet veniens & non tardabit.

9. In omnibus ærumnis pii coniuges hanc consolationem teneant, quòd Christus potest & vult adiuuare innocentes & larga sua benedictione semper adesse piis coniugibus.

10. Mariæ exemplo moniti, insistamus adhortationibus, vt singuli, quæ Christus præcepit, diligenter faciant.

11. Exequamur Christi mandata, etiamsi causas & fines eorum non semper intelligimus.

12. Serui & famulæ præstent obedientiam piis coniugibus, propter Dominum & authorem coniugii, & commoda eorum promouere & iuuare indesinenter studeant.

13. Mediis licitis vtamur, sicut Christus hic vinum ex aqua, non ex nihilo facit.

14. Coniuges pauperes pro facultatibus nostris iuuemus.

15. Ebrietatem fugiamus & apud alios etiam impe-

impediamus. Nec ex ſtultis ebriis prorſus inſanos faciamus.

16. In nuptiis & aliis conuiuiis apponamus neceſſaria ſine exceſſu & defectu: vtrunque enim extremum execratur Dominus.

17. Fidem miraculis Chriſti confirmemus.

18. Doctrinam Euangelii, tot miraculis comprobatam & obſignatam, amplectamur.

DETESTATIONES XII.

1. Securitatis eorum, qui ante & poſt nuptias nulla precatione opus eſſe opinantur.

2. Leuitatis eorum, qui ſine Dei & parentum conſilio, pro vt cœci affectus ſuadent, vxores ducunt & nubunt.

3. Peruerſitatis eorum, qui facturi nuptias tantùm de pompa externa ſunt ſoliciti, interea verò preces & alia magis neceſſaria negligunt.

4. Propter venturas ærumnas & crucem ſanctam non fugiamus, multo minus conuiciis proſcindamus coniugium.

5. Non grauemur piis coniugibus, vel in nuptiis, vel poſt inſeruire.

6. Clamorem pauperis non negligamus, ſed lenire mala eius conſilio & re ſtudeamus.

7. Non ceſſemus orare, multò minus indignemur, ſi quando Chriſtus duriorem ſe erga nos exhibet.

8. In inuocatione neq; tempus neq; modum iuuandi Deo præscribamus.

9. Ingraueſcentibus calamitatibus noſtris, non nimium turbemur. Cum enim ad ſummum uſq; hydriæ repletæ ſunt, ſolet Chriſtus aquam in vinum commutare.

10. Donis Dei non ad voluptatem, ſed ad neceſſitatem vtamur.

11. Ebrietatem, vt peſtem animæ, corporis & famæ honeſtæ, fugiamus. Non enim laudatur aut excuſatur ebrietas, cum hic dicitur: Cum inebrietati &c. ſed potius veterum temperantia & ſobrietatis ſtudium commendatur, Quamprimum enim animaduertebant inebriari aliquos, ſubtrahebant potum plenio-rem, ne igni oleum adderent.

12. Sicut in rebus aduerſis non mox frangamur animo: ita in proſperis etiam non efferamur. Poteſt enim Chriſtus vtrunque, & dare abſentia, & rurſus etiam auferre præſentia.

DOMINICA III. POST EPIphanias, Euangelium Matth. 8.

Cum autem deſcendiſſet de monte, ſecuta &c.

QVÆSTIONES SIMPLICES XXVIII.

1. De

1. DE variis morbis & aliis calamitatibus generis humani, & diuersis earundem cauſſis.
2. De cruce piorum.
3. De lepra & eius allegoria, in qua interna noſtra peccatorum immundities cum omnibus ſuis proprietatibus eruditè depingitur.
4. De precatione.
5. De diſcrimine obſeruando in petitione ſpiritualium & corporalium bonorum.
6. De Chriſti diuina potentia.
7. De eiuſdem Philanthropia & immenſa miſericordia.
8. De finibus miraculorum.
9. De lege ceremoniali Moſis.
10. De iudicio lepræ commiſſo ſacerdotibus veteris teſtamenti.
11. De munere mundatorum à lepra.
12. De diuerſis victimis & ſacrificiis legis.
13. De fine miniſterii Euangelici, qui in lege de leproſis præfiguratur.
14. De vocatione gentium.
15. De Paralyſi & eius cauſis.
16. De fide Centurionis.
17. De pœnitentia & eius partibus.
18. De efficacia & virtute verborum Chriſti.
19. De officio Dominorum.
20. De ſeruis.
21. De militia & alijs politicis officijs.

22. De

22. De cæcitate & incredulitate Iudæorum.
23. De regno cœlorum.
24. De veris Ecclesiæ membris, vel vnde colligatur Ecclesia.
25. De electione filiorum regni & veris eius cauſſis.
26. De vita æterna.
27. De inferno & pœnis infernalibus.
28. De effectibus fidei.

CONIVNCTAE XVII.

1. An leprosus dicens: Si vis Domine, potes me mundare: De Christi exauditione & ope dubitarit?
2. An inter orandum dubitare liceat?
3. An Christus nolit miracula sua prædicari, cum prohibuerit ne leprosus se mundatum esse dicat?
4. Quòd opera dilectionis sint anteferenda ceremoniis legis, quia Christus contra legem Mosis leprosum tangit.
5. An Papistæ ex eo, quod Christus mundatum à lepra ad sacerdotes ablegat, auricularem confessionem rectè extruere possint?
6. Quomodo oblatio muneris cesserit in testimonium sacerdotum?
7. Quòd Christus omnes, in vera fide inuocantes, sine respectu personarum exaudiat.
8. Quòd Christus in omnibus vitæ humanæ condi-

conditionibus, aliqua veræ Eccleſiæ membra habeat.

9. Quòd miniſtris verbi ſub quouis prætextu nihil ſit detrahendum.

10. Quòd etiam milites pii ſaluari poſſint.

11. Quòd Deus approbet iuſtam & piam militiam.

12. Quòd Chriſtus in iis etiam morbis, quos noſtra nobis culpa attrahimus, confugientes ad ſe exaudire & liberare velit.

13. Quòd etiam gentes ad regnum Chriſti pertineant.

14. Quòd in regno Dei non valeat vlla prærogatiua carnalis.

15. Quòd Deus omnes homines vera fide filium ſuum amplectentes, in gratiam recipere velit.

16. Abraham, Iſaac & Iacob, ſola fide iuſtificati & hæredes vitæ æternæ facti ſunt.

17. Quòd Chriſtus non tollat politica officia. Non enim præcipit centurioni, vt ſtationem ſuam deſerat.

ADHORTATIONES XXII.

1. Chriſtum docentem audiamus & ſequamur.

2. Ad Chriſtum ſine reſpectu noſtræ indignitatis cum fiducia accedamus.

3. Bona corporalia petamus quidem à Deo,

ita

ita tamen, vt bonæ ipsius voluntati nos subijciamus.

4. Afflictos iuuemus, etiamsi interdum ope nostra indigni videantur.

5. De Christi beneuolentia & misericordia omnia nobis bona polliceamur. Propè enim est omnibus inuocantibus in veritate.

6. In morbis primum ad summum Medicum confugiamus. Is enim vel solo verbo nos sanare potest.

7. Ministerium verbi singuli, suo loco, opera & consilio conseruare studeant.

8. Simus grati Christo & ministerio eius.

9. Christum etiam coram inimicis confiteamur.

10. Si quando aduersariorum elusiones & calumnias rationibus licitis impedire aut effugere possumus, faciamus sane hoc, sicut Christus hîc sacerdotibus in testimonium ipsorum munus offerre iubet.

11. Propter tranquillitatem publicam cedamus nonnunquam aduersariis, in his, quæ conscientiæ integritatem non lædunt.

12. Domini sint soliciti de seruorum suorum salute.

13. Pro infirmis faciamus preces ad Deum. Nunquam enim sunt irritæ, sed vel liberationem, vel saltem mitigationem calamitatum impetrant.

14. Pe-

14. Petituri à Deo vel corporalia vel ſpiritualia bona, agnoſcamus noſtram indignitatem, & omnia propter Chriſtum gratis nobis dari petamus.

15. In omni precatione præluceat fides vera, ſtatuens cum Centurione, Chriſtum abſentem non minus quàm præſentem, vnico verbo poſſe & velle nos iuuare.

16. Patresfamilias ita regant & aſſuefaciant domeſticos ſuos, vt ad ſingula verba debitam obedientiam præſtent.

17. Famuli ſtudeant apud Dominos ſuos obtinere laudem hanc, quam Centurio hîc militibus ſuis dat.

18. Certitudinem & efficaciam verborum Chriſti agnoſcamus & magnifaciamus.

19. Ab occaſu & oriente conueniamus ad regnum Dei. Credentes enim in Chriſtum ſine reſpectu perſonarum aut nationis, à Deo recipiuntur.

20. Filii lucis perſeuerent in fide, ne in extremas tenebras eijciantur.

21. Credamus Chriſto promittenti. Nam ſecundum fidem noſtram fiet nobis.

22. Credamus poſt hanc vitam reſtare aliam, in qua credentes cum Chriſto æternis gaudiis fruentur.

DE-

DETESTATIONES XVIII.

1. Non impediant nos vel peccata nostra, vel morbi vehementia, quò minus ad Christum confugiamus.

2. Non præscribamus Deo modum auxilii, vel tempus liberationis, sed bonam eius voluntatem fieri petamus.

3. Non abominemur, multò minus deseramus proximum in morbis aut aliis aduersitatibus.

4. Non abiiciamus spem & fiduciam in Deum, in morbis etiam grauissimis. Christus enim nullos non morbos solo verbo curare potest.

5. In omnibus verbis & actionibus nostris inanem gloriam fugiamus.

6. Non denegemus, sub quouis prætextu ministris Ecclesiæ & magistratui debitum suum.

7. Domini non deserant, multò minus domo eiiciant ægrotantes seruos suos.

8. Serui non attrahant sibi petulantia sua pœnas diuinas, nec odium Dei & hominum sua inobedientia sibi cumulent.

9. Milites non pro laude ducant contemtum Dei & precum. In Centurione enim hic non securitas & Epicuræus contemtus Dei, sed fides vera à Christo laudatur.

10. Non

10. Non negemus aut excuſemus peccata noſtra, ſed liberè ea Deo confiteamur, attamen ſine deſperatione.

11. Domini non connitentur ad ſeruorũ ſuorum negligentiam, nec inanibus tantum verbis ſine ſeueritate & pœnis eos obtundant, ſed ad debita obſequia tempeſtiuè aſſuefaciant.

12. Serui non prætereant ſurda aure iuſſa dominorum ſuorum, ſed citò & diligenter ea expediant.

13. Eccleſiæ miniſtri non diſſimulent peccata auditorum, ſed quæ in ipſis deſiderent, expreſsè & ſæpè indicent.

14. Non gloriemur de dignitate originis noſtræ, aut alia carnali prærogatiua, nec etiam propter indignitatẽ noſtrã de beneuolentia Dei dubitemus. Poteſt enim Deus vtrumq; & filios regni eiicere, & venientes ab oriente & occaſu in gratiam recipere.

15. Non ſimus ſecuri, ſed ſtantes omni tempore videamus ne rurſus labamur. Non rarò enim ex primis nouiſſimi fiunt.

16. Comminationes infernalium pœnarum non rideamus aut extenuemus. Teſte enim Chriſto, damnatorum in inferno perpetuus erit ploratus & dentium ſtridor.

17. Fugiamus omnem ſuperſtitionem & fidem adulterinam. Fiet enim nobis ſecundum

fidem nostram, siue veram vel falsam. Et finit Deus non rarò ideo grassari diabolum in genus humanum, vt hominum superstitiones & idolatria puniantur.

18. De expressis in verbo Dei promissionibus non dubitemus, quia secundum verbum Christi statim in illa hora sanabatur centurionis famulus.

DOMINICA IIII. POST EPIphanias Euangelium Matth. 8.

Et ascendente eo in nauicu-lam, secuti sunt eum &c.

QVÆSTIONES SIMPLICES XVI.

1. DE variis Christi itineribus & diuersis eorundem caussis.

2. De periculis in mari.

3. De forma Ecclesiæ, quæ in nauicula hac egregiè depingitur. Sicut enim Christo præsente nauis hic non mergitur: Ita etiam Ecclesia inter tam varias tentationum procellas non prorsus extinguitur, sed clementer conseruatur. Habet enim Christum gubernatorem, remiges sanctos angelos, in medio erectam crucis Christi arborem, de qua suspensa sunt Euangelicæ doctrinæ vela, quæ quia à se-

cunde

cundo vento Spiritus ſancti inflantur, veloci & felici curſu per mare huius mundi ad portum Paradyſi & vitæ æternæ vehimur.

4. De cordis humani affectibus, qui tanquam nauis vel rebus proſperis efferuntur, vel aduerſis merguntur, niſi Chriſtus vel crucis iugo elatos præmat, vel demerſos in mare calamitatum, ſua gratia eripiat & liberet.

5. De variis ærumnis & perſecutionibus Eccleſiæ.

6. De cruce piorum in genere.

7. De tentationibus & exercitiis fidei.

8. De malitia Diaboli Eccleſiam terra marique oppugnantis.

9. De veritate humanæ naturæ in Chriſto, & eius proprietatibus.

10. De vnica & vera ope in calamitatibus, quæ ſit, vbi & quomodo quærenda.

11. De imbecillitate Apoſtolorum.

12. De variis fidei impedimentis.

13. De diuina Chriſti potentia & imperio in omnes creaturas.

14. De obedientia & obſequio omnium creaturarum ad verba Chriſti.

15. De vento, eius proprietatibus, & fortitudine. In quibus Eccleſiæ pericula & tentationes deſcribuntur.

16. De miraculis & eorum vſu.

CONIVNCTAE IX.

1. Quòd Ecclesia in hac vita sit semper subiecta cruci.
2. Quòd etiam in sanctis reliqua sint peccata & magna fidei imbecillitas.
3. Quòd propter infirmitatem nostram opus sit subinde nos cruce sancta exerceri.
4. Quòd vexatio det intellectum, & fides exercitata crescat.
5. Quòd Christus tempore crucis non rarò soleat se abscondere, & simulare somnum, cùm tamen nunquam dormiat, qui custodit Israël.
6. Quòd Christus plerunque suos dilectos non prius soleat eripere ex periculis, quàm cum nauis iam iam mergi videtur.
7. An, quatenus & quomodo liceat fugere pericula?
8. Quòd Christus sit verus Deus & Dominus creaturarum.
9. Quòd solum Christi verbum omnes piorum aduersitates & tentationes compescere & reprimere possit.

ADHORTATIONES XII.

1. Occasiones inseruiendi auditoribus ministri Ecclesiæ diligenter obseruent & capiant.
2. Christum sequamur per media etiam pericula.

3. Se-

3. Secuturi autem Christum hoc certè sciant, nunquã defuturas eis varias calamitates.

4. Hac tamen se spe erigant, quòd Christus perpetuò nobiscum est in naue, hoc est, videt nostras ærumnas, audit preces & tandem ex periculis eripit vel liberat.

5. Christum dormientem ardenti inuocatione excitemus.

6. Afflictiones & querelas nostras coram Domino liberè effundamus, ita tamen, vt cum voce querula semper coniunctæ sint fides & inuocatio.

7. Crucem sanctam eo etiam fine æquius feramus, quòd imbecillitatem fidei, & alias in carne nostra sordes nobis monstrat & patefacit.

8. Agnoscamus nos sine ope diuina perituros, & eò ardentius Deum inuocemus.

9. Reprehendant Ecclesiæ ministri auditorum suorum vitia, ita tamen, vt simul sanare eos studeant.

10. Resistentibus nobis omnibus creaturis, firmam tamen in Deo fiduciam retineamus. Est enim Dominus creaturarum, & solo verbo eas reprimere & frenare potest.

11. Miracula Christi cum admiratione attentè consideremus, & fidem in nobis inde confirmemus.

12. De vsu miraculorum Christi inuicem sæ-

pè conferamus, & agnitionem Christi ex eis petamus.

DETESTATIONES XI.

1. Non deseramus Christum, etiamsi per mare huius mundi & nulla non pericula, nobis nauigandum erit.
2. Non tamen temerè nos obiiciamus periculis, quæ bona conscientia effugere possumus.
3. Non polliceamur nobis in Ecclesia perpetuam tranquillitatem. Christo enim conscendente nauim mox tempestas oritur & mare motum turbatur.
4. Non offendamur Ecclesię ærumnis & aduersitatibus.
5. Non Euangelio, sed Sathanæ imputemus, quòd Christo præsente mare turbatur.
6. Non simus securi. Singulis enim momentis in periculum incidere & omnium creaturarum subsidio destitui possumus.
7. Christo dormiente non cessemus orare. Facilè enim excitatur ab inuocantibus in veritate, & excitatus iuuare potest etiam in extrema necessitate.
8. Sed inuocaturi Deum non absterreamur fidei nostræ infirmitate, quia etiam modicæ fidei discipulos Christus exaudit.
9. De fidei nostræ robore non nimium gloriemur.

riemur. Exigua enim tempestate turbari & impediri potest.

10. In aduersitatibus non alibi, quàm apud solum Deum principaliter auxilium quæramus. Non enim diabolus, sed solus Christus maris tempestates sedare potest.

11. Nunquam obliuiscamur miraculorum Christi, quæ in terra & mari fecit. Sed omni tempore ea prædicemus.

DOMINICA V. POST EPIphanias, Euangelium Matth. 13.

Aliam parabolam proposuit eis, dicens &c.

QVÆSTIONES SIMPLICES XXVII.

1. DE parabolis, earum caussis & vsu.
2. De regno Dei.
3. De Ecclesia.
4. De seminante.
5. De semine bono.
6. De inimico Diabolo, super seminante zizania.
7. De agro.
8. De zizaniis quid sint, quæ species, causæ & effectus.
9. De filiis regni.

10. De filiis nequam.
11. De verbo Dei.
12. De ministerio & ministris verbi.
13. De efficacia & fructibus verbi.
14. De diuersis & duplicibus verbi auditoribus.
15. De hæreticis & Pseudoprophetis.
16. De falsa doctrina & eius incommodis.
17. De distractionibus in Ecclesia & veris eius causis.
18. De scandalis.
19. De discrimine potestatis Ecclesiasticæ & politicæ.
20. De longanimitate & clementia Dei.
21. Cur Deus ad tempus toleret scandala in Ecclesia.
22. De fine mundi.
23. De Angelis.
24. De iudicio Dei & vniuersali separatione bonorum à malis.
25. De pœnis æternis impiorum.
26. De vita æterna.
27. De gloria piorum in illa die.

CONIVNCTAE XX.

1. Quòd verbum Dei per se sit bonum, nec causa vllorum malorum aut turbarum in Ecclesia.
2. Quòd prædicatio verbi sit vniuersalis, &

ad omnes gentes pertineat, quia CHRISTVS vniuersum mundum, Dei agrum vocat.

3. Quòd Deus velit omnes homines saluos fieri, & ad salutarem verbi sui agnitionem peruenire.

4. Quòd Deus non sit autor peccatorum, aut scandalorum in Ecclesia.

5. Quòd omnia peccata oriantur ex diabolo & praua voluntate & negligentia hominum.

6. Quòd in hac vita non sit imaginanda talis Ecclesia, quæ omnibus scandalis careat, vt quidem Anabaptistæ contendunt.

7. Quòd semper in Ecclesia bonis multi sint & maneant immixti mali.

8. Quòd Diabolus super seminatis zizaniis soleat abire, hoc est, tegere suas insidias, & prætextum facere falsis dogmatibus.

9. Quòd Diabolus nunquam cesset, sed omnibus temporibus miscuerit & immixturus sit semini bono sua zizania.

10. Quòd falsa doctrina, quantumuis principio speciosa sit, tandem erumpat & zizania esse deprehendatur.

11. Quòd Deus per ministerium verbi velit esse efficax & fructus bonos facere.

12. An ministri Euangelii prorsus tacere & non opponere se hæreticis debeant?

13. An ministri verbi habeant aliquam potestatem eradicandi zizania, hoc est, excom-

municandi impœnitentes & enormiter peccantes?
14. An liceat exercere politica iudicia?
15. An magistratus debeat tolerare dissensiones in Ecclesia, & concedere vt impunè grassentur, & falsa dogmata serant hæretici?
16. An liceat hæreticos punire gladio?
17. Quòd velit Deus dare locum pœnitentiæ, nec statim abiici impœnitentes.
18. Quòd in refutatione falsorum dogmatum magna circumspectione opus sit, ne bonum simul semen eradicetur.
19. Quòd ex falsa doctrina nihil sequatur boni: & zizania, hoc est, peccata vel doctrinæ, vel morum, tandem in ignem æternum coniicientur.
20. An & quomodo Angeli sint eradicaturi zizania?

ADHORTATIONES XV.

1. Ministri verbi auditores suos subinde de insidiis & præstigiis diaboli præmoneant.
2. Studeant etiam seminare bonum semen & puram Euangelii doctrinam fideliter proponere.
3. Sint præterea assidui & diligentes, vt si quæ pullulant zizania, ea suis coloribus depingant, & vt auditores ea fugiant, crebris adhortationibus insistent.

4. Au-

4. Auditores agnoscant, puritatem doctrinæ ingens Dei beneficium esse, & pro eo gratias agant; verbumq; studiosè audiant & amplectantur.

5. Petant etiam sibi semen bonum & sanctum conseruari.

6. Similiter omnes homines à Deo se regi & protegi petant, ne vel doctrina falsa, vel morum turpitudine à Deo petantur.

7. Videntes zizania non mox armis irruamus, sed Deum inuocemus, vt ipse per media licita ea tollat & euellat.

8. Ministri verbi petant se regi à Deo, ne quid vel dicant vel faciant, quod fructum verbi impedire possit. Facilè enim fieri potest, vt dum zizania eradicare volumus, etiam bonum semen euellamus.

9. Falsis doctoribus non gladio, sed verbo Dei resistamus & os obturemus.

10. Magistratus sit custos vtriusq; tabulæ, & tollat scandala doctrinæ, ita tamen, ne mox ex duorum vel trium crudelitate ferat sententiam, sed iudicium de doctrina committat Ecclesiæ, quæ si re cognita damnat hæreticos, ipse etiam magistratus iusta seueritate vtatur, præsertim cum etiam contra pacem publicam peccatur.

11. Errantes studeamus reducere in viam & sanare Ecclesiæ vulnera.

12. Na-

12. Natura noſtra nil niſi zizania fert. Scindenda ergo ſunt vomere legis pectora noſtra, vt bonum Euangelii ſemen percipiant, & orandus inſuper eſt Deus, vt pluuia cœleſti nos fœcundet, vt feramus fructum copioſum & ſalutarem.

13. Infirmos in fide, de quibus aliqua emendationis ſpes reliqua eſt, ad tempus feramus. Hominem verò hæreticum ſemel vel iterum admonitum, iuxta præceptum Pauli fugiamus.

14. Fructus bonos in fide & conuerſatione ferre ſtudeamus, vt tandem à Chriſto in æterna tabernacula recipiamur.

15. Filii nequam agant pœnitentiam in tempore acceptabili, ne in ignem æternum coniiciantur.

DETESTATIONES XV.

1. Miniſtri Euangelij non fugiant varios miniſterii labores, qui in Parabola de ſeminante eruditè deſcribuntur.

2. Non conuitiemur Euangelium, neq; cauſam malorum ei imputemus. Eſt enim ſemen ſanctum & bonum, ex quo per ſe, nil niſi bonum ſequitur.

3. Non dormiant vel Eccleſiæ miniſtri vel auditores. Aſſiduè enim inimicus Diabolus circumit, & zizania bono ſemini miſcere conatur.

4. Neq;

4. Neque magistratus etiam stertat, sed hosti, antequam zizania seminat, resistat, nec permittat publicè doceri pugnantes inter se opiniones & sententias.

5. Falsa dogmata non proponamus, multò minus propugnemus. Ex diabolo enim sunt, qui zizania superseminant.

6. Videntes zizania, vel in doctrina, vel in moribus hominum, non mox offendamur, multò minus damnemus, aut cum Anabaptistis fugiamus cœtus sanam doctrinam docentes & retinentes.

7. Zizania semper & vbique fugiamus. Non enim colliguntur de spinis vuæ, aut de tribulis ficus.

8. Non polliceamur nobis perpetuam scelerum impunitatem. Manifestantur enim tandem zizania, & omnia nostra opera igne probabuntur.

9. Ministri Ecclesiæ videntes zizania non taceant, aut dissimulent manifestos errores, multò minus metu periculorum mun⁹ prorsus abiiciant, sed querelas suas effundant coram Domino, qui tandem confundet mendaces, & veritatem in lucem producet.

10. Ministri non vtantur gladio. Sufficit enim monstrasse auditoribus zizania, & fideliter eos præmonuisse, vt fugiant.

11. Non credamus cuiuis spiritui, etiam speciem

ciem boni præ se ferenti. Solet enim Diabolus miscere sua zizania inter semen bonum, hoc est, errores suos scripturæ dictis malè detortis palliare & velare.

12. Non moueamus omnes argutias & disputationes periculosas coram rudioribus. Fieri enim potest, vt dum eradicare zizania volumus, etiam bonum semen cõculcemus, aut saltem profectum eius impediamus.

13. Si quos errore aliquo præoccupatos esse videmus, non mox eos damnemus. Possumus enim ex nouissimis fieri primi.

14. Non opinemur nos vspiam in hac vita talem inuenturos Ecclesiam, quæ in omnibus suis membris sit perfecta & integra. Crescent enim ad finem mundi vsque inter semen bonum zizania.

15. Non inuideamus impiis suam felicitatem. Qui enim bona sua in hac vita accipiunt, in futura æternos cruciatus sustinebunt.

DOMINICA SEPTVAGESIma, Euangelium Matth. 20.

Simile est regnum cœlorum homini Patrifamilias &c.

QVÆSTIONES SIMPLICES XXXII.

1. De

1. DE regno Dei.
2. De patrefamilias.
3. De solicitudine eius pia & licita.
4. De vinea spirituali.
5. De operariis in hac vinea.
6. De Vocatione eorundem.
7. De labore in vinea.
8. De denario vel mercede.
9. De Ecclesia omnium temporum.
10. De diuersis Ecclesiæ ministris.
11. De officio & laboribus eorundem.
12. De membris Ecclesiæ.
13. De primo diluculo.
14. De hora tertia, sexta, nona, & vndecima.
15. De Iudæis & eorum vocatione.
16. De bonis operibus.
17. De præmiis eorum.
18. De φιλανθρωπία Dei, vocantis omnes homines ad societatem Ecclesiæ.
19. De ocio spirituali, vel cæcitate humana, in qua nobis pereundum esset, nisi à Deo per vocem Euangelii in vineam cœlestem vocaremur.
20. De vocatione gentium.
21. De procuratore, vel dispensatore patrisfamiliâs.
22. De vespera, qua operariis merces redditur.

23. De

23. De immensa misericordia Dei, facientis ex nouissimis primos.
24. De æstu & pondere diei, vel de cruce & molestiis singularum vitæ cõditionum. Item, de oneribus legis Mosaicæ.
25. De iustitia Dei.
26. De libera Dei voluntate.
27. De malitia & peruersitate humana, quæ neque misericordiam neq; iustitiam Dei rectè accipit.
28. De discrimine iustitiæ legis & Euangelij.
29. De primis.
30. De nouissimis.
31. De electione seu prædestinatione diuina.
32. De vita æterna.

CONIVNCTAE XXX.

1. Quòd Deus approbet œconomica officia & iustam patrumfamiliãs diligentiam.
2. Quòd solicitudo de laboribus vocationis rectè peragendis non sit prohibita.
3. Quòd Deus ipse vocet & mittat fideles in vineam suam operarios.
4. Quòd Deus semper & omnibus temporibus de ædificatione Ecclesiæ fuerit & sit solicitus.
5. Quòd Deus nos ad societatem Ecclesiæ non raptibus violentis, sed voce verbi sui vocet.

6. Quòd

6. Quòd Deus velit colligi Ecclesiam ex omnibus omnium seculorum populis.

7. Quòd Deus velit omnes homines saluos fieri.

8. Quòd regnum Dei non solum ad Iudæos, sed ad omnes etiam alias gentes pertineat.

9. Quòd fidelitas in vocatione, & alia bona opera, habeant sua præmia in hac & futura vita.

10. Quòd præmia illa nobis non ex debito, sed sola gratia contingant.

9. An in studio bonorum operum liceat respicere ad præmia, vel an tantum propter præmia bona opera facienda sint?

12. Quòd Deus omnibus seculis sibi ex genere humano aliquã Ecclesiam collegerit, eamque mirabiliter conseruauerit.

13. Et quòd ad finem mundi vsque eandem conseruare, & semper fideles doctores dare velit.

14. Quòd Deus propter hominum ingratitudinem non sinat prorsus extingui lucem Euangelij.

15. Quòd omni tempore inueniantur homines otiosi, sine studio bonorum operum, quibus in peccatis suis pereundum esset, nisi à Deo per vocem Euangelii ad societatem Ecclesiæ vocarentur.

16. Quòd nemo nos conducat, vel ad socie-

tatem Ecclesiæ perferat nisi verbum Dei, vel, Quòd solum Dei verbum nos conducat, & membra Ecclesiæ faciat.

17. An & quomodo vita æterna dicatur merces bonorum operum?

18. Quòd in regno Dei non sit respectus personarum.

19. Quòd electio & prædestinatio ad vitam æternam fiat in solo filio.

20. Quòd Deus singulis & omnibus det, quod iustum est.

21. Quòd homines carnales, & in verbo Dei non rectè instituti, semper soleant magis confidere in suam dignitatem & merita, quàm gratiam Christi.

22. Quòd semper in Ecclesia bonis multi permixti fuerint & sint mali.

23. Quòd Deus cum credentibus in Christum, non secundum peccata, sed magnam suam misericordiam agere velit.

24. Quòd soleat Deus sua dona etiam indignis communicare.

25. Quòd natura humana, quia mala est, inuideat aliis misericordiam Dei.

26. Quòd liceat Deo in suis facere, quod vult.

27. Quòd ex nouissimis primi, & ex primis nouissimi fieri possint, & quòd culpa damnationis multorum non sit in Deum transferenda.

28. Quòd

28. Quòd omnibus seculis paucissimi salvati sint.

29. Quòd lapsis petentibus veniam, non sit deneganda gratia Dei, quia dicitur: Novissimi &c.

30. Quòd prædicatio Euangelii sit vniuersalis, & ad omnes homines pertineat.

ADHORTATIONES XIX.

1. Patresfamilias sint in officio suo diligentes, & omnia suo loco & tempore faciant, & fieri præcipiant.

2. Ministri Ecclesiæ imitentur sedulitatem huius patrisfamilias, & multos ad societatem Ecclesiæ & in vineam Christi adducere studeant.

3. Tota die, hoc est, per totam vitam nostram conemur inseruire gloriæ Dei & saluti hominum.

4. Pauperes ociosè stantes vocemus, vt manibus suis laborent, & panem quotidianum honestè acquirant.

5. Vocati à Deo mox & sine deliberatione sequamur.

6. In vinea Christi doctores & auditores verbi strenuè laborent, & fructus multos faciant.

7. Ociosos ad studium bonorum operum & veram pœnitentiam excuscitemus.

8. Tota die otiosè stantes seuerè etiam reprehendamus.

9. Operariis iustam & debitam mercedem mox soluamus.

10. Mercenarios & omnes seruos suis stipendiis contentos esse decet.

11. In vinea Domini æstum & pondus diei portemus, hoc est, crucem sanctam & quasuis ærumnas patienter feramus.

12. Et tandem vocati ad rationem, in solam Dei bonitatem fiduciam ponamus.

13. Facturi Deo gratum, non aliena, sed propria curemus.

14. Simus contenti præsentibus Dei donis, & mercede etiam qualicunq;.

15. Distribuamus proximo non tantum pro merito eius, sed nonnunquam etiam ex gratia & charitate aliquid superaddamus.

16. Quicunque scit se à Deo vocatum esse, faciat officium suum animo alacri, nec dubitet suam, quantumuis humilem, conditionem Deo gratam esse.

17. Tollamus quod nostrum est & abeamus.

18. Ambulemus in timore Dei, ne ex primis nouissimi fiant.

19. Nouissimi & omnes miseri peccatores hac se spe sustentent, quòd apud Deum ex nouissimis primi fieri possint.

DE.

DETESTATIONES XV.

1. Negligentiæ in omnibus vitæ ſtatibus, maximè verò miniſtrorum Eccleſiæ. Cum enim Agricola, propter fructus exiguos, tota die magna ſolicitudine laboret, an non pudeat nos de vinea domini non eſſe ſolicitos?
2. Non negligamus verbum vocale, nec cum Anabaptiſtis ſingulares illuminationes & raptus expetamus.
3. Ocium in tota noſtra vita fugiamus.
4. Semel vel iterum à Deo vocati, non ſtemus amplius otioſi.
5. Non ingeramus nos non vocati in politica vel Eccleſiaſtica munera, ſed vocantem Deum expectemus & ſequamur.
6. Non appetamus maiora viribus noſtris, ſed vocationis labores faciamus.
7. Non ſimus hypocritæ ad faciem domini tantùm laborantes, & inanem gloriam captantes.
8. Os boui trituranti non obligemus.
9. Non efferamur, neque ſuperbiamus propter donorum & laborum noſtrorum excellentiam, multò minus de mercede cum Deo expoſtulemus.
10. Non inuideamus aliis, etiam miſeris peccatoribus, gratiam Dei, vt Iudæi Chriſti tempore faciebant. Nam contra murmur eorum

tota hæc parabola directa est.
11. Non murmuremus, si videtur Deus nobis minus dedisse, quàm volumus aut petimus.
12. Nemini faciamus iniuriam.
13. Pacta confirmata non retractemus.
14. Errantes non mox abijciamus, sed salutari doctrina & admonitione in viam reducamus.
15. Non superbiat coram Deo omnis caro. Alias ex primis nouissimi fiunt.

DOMINICA SEXAGESIMA,
Euangelium Luc. 8.

Cum autem turba plurima conueniret, & de &c.

QVÆSTIONES SIMPLICES XXII.

1. DE concursu populi & caussis eius.
2. De parabolis.
3. De seminante Christo.
4. De ministerio verbi.
5. De semine, quod est verbum Dei.
6. De diuersis auditoribus Euangelij.
7. De contemtoribus verbi, & contemtus huius veris caussis.
8. De variis impedimentis verbi.
9. De duritie & peruersitate cordis humani,

ni, quæ in via trita significatur.
10. De volucribus cœli, vel diaboli malitia & potentia.
11. De Petra.
12. De humore deficiente.
13. De tentationibus & tempore tentationis.
14. De transfugis hypocritis, & recedentibus tempore tentationis.
15. De solicitudinibus, de diuitiis, voluptatibus carnis, & aliis spinis suffocantibus semen bonum.
16. De terra bona, vel regeneratione cordis humani, & eius causis.
17. De custodia verbi in corde bono, vnde fit.
18. De fructu seminis & bonis operibus.
19. De Ecclesia & veris eius membris.
20. De mysteriis regni Dei.
21. De mysteriorum horum cognitione & eius cáusis.
22. De excæcatione hominum, vnde fit.

CONIVNCTAE XXII.

1. Quòd prædicatio Euangelii sit vniuersalis, & ad omnes homines pertineat.
2. Quòd Deus velit omnes homines saluos fieri.
3. Quòd Euangelium per se sit bonum, nec causa vllius vel mali, vel scandali.
4. Quòd culpa paucitatis credentium, non

transferenda sit in Deum, sed in Diabolum & malam hominum voluntatem.

5. An Deus velit mysteria regni sui aliquibus hominibus tecta & ignota esse manere? vel, An non æquè omnibus hominibus det nosse mysteria sacra?

6. An Deus sit author excæcationis & indurationis hominum?

7. An Diabolus pro suo arbitrio semper, & vbi vult, possit rapere verba ex cordibus hominum, etiam resistentium & repugnantium?

8. Quòd credentes Euangelio verè saluentur.

9. Quòd etiam hi, qui ad tempus credunt, possint rursus labi & excidere gratia.

10. An liceat Christiano vlla de re esse solicitum?

11. An concessum sit tenere proprium, cùm Christus hîc diuitias spinis suffocantibus semen bonum, comparet?

12. An diuitiæ per se malæ sint, & fructum verbi impediant?

13. An omnes voluptates Christianis in vniuersum prohibitæ sint?

14. An voluntas humana debeat numerari inter causas fidei & reliquarum bonarum actionum?

15. An

15. An Deus trahat nolentes & finaliter repugnantes?

16. An necesse sit ad verum verbi diuini intellectum impetrandum, nostrum etiam accedere studium?

17. An studium hoc ex nobis, an verò ex gratia diuina sit?

18. Quòd impossibile sit, ferre fructum bonum & Deo placentem, nisi prius semen bonum prædicatione Euangelii in corda nostra spargatur, & gratia Spiritus sancti etiam excitetur.

19. Quòd dona piorum crescant vsu & exercitatione, & fides certa sua incrementa habeat.

20. Quòd Euangelii prædicatio nunquam sine fructu abeat, sed semper apud aliquos sit efficax.

21. Quòd fides vera non sit ociosa, sed semper fructus bonos adferat.

22. Quòd Ecclesia collata ad reliquos homines in mundo, sit exiguus & nullius ferè respectus cœtus.

ADHORTATIONES XX.

1. Ad assiduum studium verbi. E singulis enim hîc ciuitatibus turba plurima ad Christum properasse dicitur.

2. Ad circumspectionem & necessariam pru-

dentiam in docendo. Christus enim videns turbam plurimam conuenire, de vero studio verbi ea tractat, quæ tunc scire, monere & cogitare summè necessarium erat. Et sic hodie etiam omnes fideles ministri diligenter obseruent, quid tempus & singularum personarum conditio requirant.

3. Ministri Ecclesiæ seminent semen bonum, hoc est, puram Euangelii doctrinam fideliter proponant.

4. Magistratus propagationem doctrinæ tueatur & iuuet, nec semen bonum pedibus conculcare sinat.

5. Pii etiam parentes domi liberis suis capita pietatis assiduè inculcent. Omni enim tempore, & ab omnibus etiam hominibus, ager Domini excolendus est.

6. Ministri verbi auditores suos de malitia diaboli, & propria infirmitate subinde admoneant.

7. Auditores agant Deo gratias pro semine bono.

8. Et dum habent aures ad audiendum, audiant.

9. Petant etiam à Deo conseruationem sanæ doctrinæ, & defensionem, ne Sathan verbum auditum ex corde rursus rapiat.

10. De eis, quę obscurius dicta videntur, vberiorem explicationem quærere non erubescamus.

11. Sint

11. Sint etiam miniſtri parati reddere rationem & declarationem petentibus.
12. Myſteria regni Dei in timore Domini ſcrutemur, & cognoſcere ſtudeamus.
13. Cordis noſtri duritiem agnoſcamus, deploremus, & à Deo corrigi petamus.
14. Tentationes fide & conſtantia vincamus.
15. Opibus, cibo, potu & aliis Dei donis, ſine ſalutis noſtræ detrimento vtamur.
16. De vocatione noſtra debito modo ſimus ſoliciti.
17. Cognitionem verbi contra omnes diaboli tentationes, in corde noſtro retinere & cuſtodire conemur.
18. Fructus dignos pœnitentia faciamus.
19. Aduerſa, quæ propter Chriſtum & verbum eius nobis eueniunt, patienter feramus.
20. In cognitione & confeſſione Chriſti ad finem vſque perſeueremus.

DETESTATIONES XIX.

1. Negligentiæ verbi, quæ adeo nunc inualuit, vt multis etiam ſacras conciones pro foribus audire & viſitare graue ſit.
2. Concionatores nihil diſſimulent, ſed quæ reprehenſione digna ſunt, omni tempore taxent.
3. Non captemus auram popularem, nec acceſſiones

cessiones aut concursus hominum nos impediant, quò minus vitia auditorum reprehendamus. Quò enim maior fuit in conciombus Christi frequentia, eò vehementius hominum peccata taxauit.

4. Non gloriemur de auditorum copia, multò minus ad placitum hominum loquamur. Mobile enim varium & inconstans semper est vulgus.

5. Non polliceamur aut imaginemur nobis veram Dei cognitionem, sine studio & auditu verbi, multò minus cum Suuenckfeldianis verbum Dei damnemus, aut cum Anabaptistis, nescio quas illuminationes & Enthusiasmos expectemus. Verbum enim Dei semen bonum est, vnde omnis fructus bonus oritur.

6. Non abiiciamus munus docendi ideo, quòd apud pleroſque labor noster inanis esse videtur.

7. Non existimemus, nos in hoc mundo talem inuenturos Ecclesiam, in qua omnes homines æquè audiant & amplectantur verbum.

8. Aures nostras ad vocem Euangelii non obruremus, ne tandem audientes nihil audiamus.

9. Non pudeat nos fateri nostram insciti am & imbecillitatem, in perscrutatione mysteriorum

riorum sacrorum, nec omnia verba Dei ad nostram rationis nostræ examinemus.
10. Non hostili animo persequamur verbum Dei. Puniuntur enim tandem densa cœcitate, qui tenebras plus quàm lucem amant.
11. Non simus securi. Circumit enim Sathan vt Leo rugiens, & quærit, qua occasione verbum auditum rursus ex corde nostro rapiat.
12. Quòd prædicatio Euangelii apud plurimos est irrita, non Deo aut Euangelio, sed hominum prauitati & diabolo imputemus.
13. Non exaggeremus vires humanas. Verbum Dei enim sine gratia Spiritus sancti, neque suscipere neq; conseruare possumus.
14. Nec tamen propter hoc studium omne abiiciamus, aut de efficacia verbi dubitemus. Virtus enim in infirmitate perficitur.
15. Non absterreant nos persecutio & pericula, quò minus Christum confiteamur. Qui enim ad finem vsq; perseuerat, saluus erit.
16. Impiam solicitudinem & curam fugiamus.
17. Diuitias non nimium expetamus. Non rarò enim nimium earum desiderium semen bonum suffocat.
18. Voluptatibus carnis non indulgeamus. Nam ipsæ etiam multos à verbi studio retrahunt.
19. Non putemus veram esse fidem, quæ fructibus

ctibus bonis caret, nec fidem cum mala conscientia, aut proposito peccandi stare posse, opinemur.

DOMINICA QVINQVAGESIMA, Euangelium Luc. 18.

Assumpsit autem Iesus duodecim, & ait illis &c.

QVÆSTIONES SIMPLICES XXI.

1. DE itinere Christi in Hierosolymam & caussis eius.
2. De prædictione passionis.
3. De certitudine Prophetiarum & totius sacræ scripturæ.
4. De passione, morte & resurrectione Christi.
5. De regno Christi, quale sit.
6. De ignorantia & infirmitate Apostolorū.
7. De cæcitate Iudæorum.
8. De variis calamitatibus generis humani, vnde sint.
9. De mendicis apud Iudæos, ex lege Deuterono. 15.
10. De precationis forma.
11. De promissionibus corporalium & spiritualium bonorum.

12. De

12. De discrimine petitionis diuersorum, horum donorum Dei.
13. De impedimentis & exercitiis inuocationis.
14. Cur cæcus Christum filium Danidis appellauerit.
15. De bonitate Christi.
16. Cur Christus quærat, quid sibi cæcus fieri velit, cum antea hoc non ignorauerit.
17. De dignitate visus.
18. De omnipotentia & miraculo Christi.
19. De dignitate & effectibus fidei.
20. De fructibus fidei.
21. Allegoria de cæco, qui est imago totius generis humani oppressi densa & magna cæcitate, quam præter Christum nemo curare potest.

CONIVNCTAE XVI.

1. Quòd Christus sciens & volens passus sit, & spontaneam victimam in ara crucis, cœlesti suo patri obtulerit.
2. Quòd Christus non casu, sed ex consilio patris, secundum scripturas in mortem traditus sit.
3. Quòd fidei nostræ articuli de passione, morte & resurrectione Christi, non sint figmenta humana, vt Iudæi impudenter calumniantur, sed firmissima testimonia etiam in Prophetarum scriptis habeant.

4. An

4. An crucifigentes Christum peccauerint, cùm certum sit, voluisse Deum, vt filius vnigenitus fieret victima pro peccatis hominum?

5. An liceat fugere pericula?

6. An quibuslibet nos malis temerè obijcere debeamus ideo, quòd Christus volens mortem subijsse dicitur?

7. Quòd ratio humana sine ope Spiritus sancti mysteria diuina non assequatur aut percipiat.

8. Quòd etiam in sanctis Apostolis multæ adhuc infirmitates reliquæ fuerint.

9. Quòd in hac vita nemo hominum sit ex omni parte beatus, aut omninò perfectus.

10. Quòd calamitates piorum non casu, sed ex bona Dei voluntate eueniant.

11. Quòd CHRISTI regnum non sit de hoc mundo.

12. Quòd Ecclesia in hac vita omni tempore sit subiecta cruci.

13. Quòd ratio humana stultam prædicationem crucis non assequatur, & plerunq; surda sit, cum de futuris calamitatibus dicitur.

14. An Christianis mendicare liceat, cum in lege Dei dicatur: Omninò indigens & mendicus non erit inter vos?

15. Quòd Christus possit & velit iuuare omnes, vera fide opem suam implorantes.

16. An

16. An & quomodo cæcum fides sua sanauerit?

ADHORTATIONES XX.

1. Ad salutarem & piam Dominicæ passionis meditationem.

2. Futuræ crucis semper simus memores, & de ea sæpè colloquamur, firmasq; ex scriptura consolationes colligamus, ne inopinata & improuisa nos obruens, vel ad indignationem, vel desperationem adigat.

3. Voluntati diuinæ, in ferenda cruce sancta, patienter nos subijciamus.

4. Infirmos contra futura scandala maturè præmoneamus.

5. Ignaros & rudiores in fidei articulis probè instruamus.

6. Quæ in prophetarum libris & oraculis continentur, certò sic euentura statuamus.

7. Admoniti de Apostolorum infirmitatibus, nostras etiam sordes agnoscamus & deploremus.

8. Articulos fidei studiosè audiamus, & rectè intelligere discamus. Cum enim Christi discipuli hæsitauerint, multò citius nos errare possumus.

9. Pauperes suos singulæ ciuitates curare debebant, vt in lege Dei scriptum erat.

10. Visu, auditu & aliis corporis membris honestè & sanctè vtamur.

11. De Christo præsente & prætereunte inquiramus, priusquam abeat.

12. In morbis & omnibus aliis calamitatibus, Christum corporis & animæ nostræ medicū & vnicum opitulatorem esse credamus.

13. In precatione non nostra dignitate aut meritis, sed sola Dei misericordia nitamur.

14. Pauperum clamores audiamus, & quibuscunque possumus rationibus clementer eos iuuemus.

15. Necessitatem, in qua à Deo iuuari nos volumus, nominatim exprimamus.

16. Integritatem membrorum nostrorum à Deo nobis dari & conseruari petamus.

17. Mentis etiam nostræ oculos à Christo illuminari oremus.

18. In omni precatione præluceat fides vera. Sine ea enim irrita est omnis inuocatio.

19. Sanitatis aut virium nostrarum restitutionem agnoscamus esse Dei donum, & grata mente celebremus.

20. Miraculis Christi fidem in nobis confirmemus, & ad gratiarum actionem nos ipsos excitemus.

DETESTATIONES XVI.

1. Ventura pericula non dissimulemus, sed de eis infirmos in fide tempestiuè præmoneamus.

2. Se-

2. Secururi Christum non polliceamur nobis perpetuam tranquillitatem. Regnum enim eius regnum crucis est.

3. Non offendamur passione & morte Christi. Sic enim scripturam impleri oportuit.

4. Non grauemur propter nomen Christi ferre ignominiam, opprobrium & tandem mortem ipsam, cùm Christus propter nos hæc omnia & alia plura sustinuerit.

5. Cùm Apostoli non statim omnia Christi verba assecuti sint, non nimium nobis fidamus, teste enim Paulo, ex parte tantum in hac vita cognoscimus.

6. Non tamen propter imbecillitatem nostram desinamus legere & audire verbum Dei, Christus enim linum fumigans non extinguit.

7. In rebus secundis non insolescamus. Singulis enim momentis cum omnibus nostris bonis & donis, variis casibus obnoxii sumus.

8. Non abutamur membris corporis nostri. Deus enim vsum eorum citò nobis prorsus adimere, aut saltem impedire potest.

9. Mendicare non erubescamus, si alia honesta ratione victum nobis parare non possumus.

10. In afflictionibus non murmuremus aduersus Deum.

11. Inter orandum non cedamus tentationibus, nec audiamus Diabolum nos increpantem aut impedire volentem.

12. Non etiam nos absterreat indignitas. Invocantes enim non suis meritis, sed Christi misericordia nitantur.

13. Nec tempus aut modum iuuandi Deo præscribamus, sed hæc omnia bonæ ipsius voluntati committamus.

14. Non increpemus nec verbis inhumanis turbemus eos, qui nostram opem implorant.

15. Non mox obliuiscamur acceptorum à Deo beneficiorum, sed perpetua gratitudine celebremus.

16. Non inuideamus aliis gratiam Dei, sed potius lætemur & gratias agamus, si liberari à malo proximum videmus.

DOMINICA INVOCAVIT.

Euangelium Matth. 4.

Ductus est Iesus in desertum &c.

QVÆSTIONES SIMPLICES XXIIII.

1. DE ductu Spiritus sancti in desertum.
2. De eremitis & solitaria eorum vita.
3. De tentationibus Diaboli in genere, & deinde

inde in specie de his tribus, quibus omnibus seculis Ecclesiam & eius membra exercuit. Aut enim oppugnauit eam inedia & persecutione, aut falsa doctrina, & inani gloria, aut auaritia, & manifesta idolatria. Et hisce artibus hodie adhuc vtitur.

4. De diaboli astutia, potentia, malitia & impudentia.

5. De ieiunio Christi.

6. De ieiunio Mosi & aliorum sanctorum.

7. De ieiunio papistico, & horum omnium discrimine.

8. De Christi humana natura, & eius proprietatibus, ex verbo esurit.

9. De miraculis necessariis & non necessariis.

10. De vita humana & eiusdē sustentatione.

11. De benedictione diuina.

12. De dignitate & efficacia verbi diuini.

13. De ciuitate sancta & pinnaculo templi, in quod hodie adhuc Diabolus non rarò Ecclesiæ doctores assumere & collocare solet.

14. De S. Angelis, quibus & quando inseruire vel administrare velint.

15. De diaboli dolosa scripturæ citatione. Id enim, quod in dicto Psalmi præcipuum est, videlicet: custodient te IN VIIS TVIS! omittit.

16. Tentare Deum quid sit.

17 De regnis mundi & eorum gloria.
18. De idolatria & adoratione Christi, quid sit, & quæ eorum species.
19. De variis gestibus inter orandum, an & quatenus concessi sint.
20. De victoria Christi.
21. De lucta piorum cum diabolo.
22. De authoritate & dignitate S. scripturæ, quæ inde æstimari potest, quòd Christus non statim virtute diuina, sicut quidem poterat, sed testimoniis & verbis scripturæ diabolum conuincit & tandem depellit.
23. De cultu diuino.
24. De diabolo impotentia contra Christum & verbum eius, quia tandem cum ignominia cedere cogitur.

CONIVNCTAE XXIII.

1. An Deus voluerit filium suum à diabolo ita circumduci & exagitari, cum hic dicatur: Ductum esse Iesum à spiritu in desertum, vt tentaretur à diabolo?
2. An diabolus sine permissione diuina possit tentare & vexare homines sanctos?
3. An Deus tentet homines ad malum?
4. An Eremitæ, Monachi & alii similes ex hoc Christi exemplo, vitæ suæ conditionem probare & defendere possint?
5. An Christum, in hoc secessu in desertum

& ie-

& ieiunio quadraginta dierum, omnes homines imitari necesse sit, & an exemplum hoc pro mandato accipi debeat?

6. An Papistarum ieiunium sit necessarium & cultus Deo gratus?

7. Quòd Christus sit verus & naturalis homo, factus fratribus per omnia similis, excepto peccato.

8. An diabolus ignorauerit Christum esse filium Dei?

9. Quòd panis & omnis victus, sine diuina benedictione, non sufficiant ad vitæ nostræ sustentationem.

10. Quòd filius Dei sit dator & conseruator vitæ nostræ.

11. Quòd Deus solo verbo suo omnia nobis necessaria parare & benedicere possit.

12. Quòd diabolus semel confutatus non mox tentare cesset, sed subinde aliis viis perplexioribus redire soleat.

13. Quòd soleat etiam citare scripturam, sed vel mutilatam, vel malitiosè deprauatam.

14. An diabolus potuerit ducere Christum, quo voluerit, vel an in spectro quodam ei omnia regna mundi & alia obiecerit?

15. An hac fiducia, quòd sancti angeli in custodiam nostri deputati sint, quiduis tentare liceat?

16. Quòd contra diabolum non sint arma firmiora, quàm quæ verbum Dei nobis monstrat & præbet.

17. Quòd hæretici à Diabolo magistro suo edocti, errores suos hodie adhuc scripturæ dictis velare soleant.

18. Quòd Diabolus sit mendax. Plura enim hic pollicetur, quàm in potestate sua habet aut dare potest.

19. An possit Diabolus hominibus veras opes dare?

20. An homines bona conscientia à diabolo quicquam accipere possint?

21. Quòd diabolus tandem à fortiter resistentibus vincatur & pellatur.

22. Quòd adoratio nullæ creaturæ, sed soli creatori Deo conueniat.

23. Quòd sancti angeli adsint eis, qui se diabolo fortiter opponunt.

ADHORTATIONES XVIII.

1. Sicut Christus in exordio sui ministerii secessit in desertum, vt oraret: ita nos etiam omnes actiones nostras cum ardenti Dei inuocatione inchoemus.

2. Ad luctam cum diabolo probè nos præparemus. Vita enim nostra à primo die, vsq; ad nouissimum perpetua militia est.

3. Tentati confugiamus ad Christum, qui ideò

ideò etiam tentatus est, vt nostras passiones disceret, & nobis tentatis compateretur.

4. Officii nostri labores strenuè faciamus, & curam de victu & amictu in Deum coniiciamus.

5. Ieiunemus quidem, sed eo, quem verbum Dei præscribit, modo.

6. Inopiam & paupertatem forti & patienti animo feramus, sicut Christus ipse etiam esuriuit.

7. Verbum Dei faciamus nobis familiariter notum, vt omnes diaboli tentationes eò facilius à nobis refutari possint.

8. In omni tentatione hanc consolationem cogitemus; quòd Diabolus non vi Christum de templi pinnaculo præcipitare potuit, sed magnis persuasionibus ad hoc ipsum adducere conatus est. Verè ergò, vt Hieronymus inquit, debilis est hostis, qui non potest vincere nisi volentem.

9. In declinandis periculis, mediis licitis vtamur.

10. In viis Domini ambulemus. In his enim nos sancti angeli custodiunt.

11. Probemus spiritus. Non enim omnis, qui scripturam citat, ex Deo est.

12. Verbo Dei, tanquam gladio bicipite, pro nobis & contra diabolum vtamur.

13. Omnia huius mundi bona, æternis post-

ponamus, & hæc præ illis eligamus.
14. Opibus noſtris ſine idolatria & aliis peccatis rectè vtamur.
15. Diabolo toties redeunti fortiter reſiſtamus. Victus enim verbo Dei tandem fugit.
16. Solum Deum adoremus & colamus.
17. Contra diabolum per ſanctos nos angelos cuſtodiri à Deo petamus.
18. Vt angeli nobis, ita nos viciſſim aliis libenter ſeruiamus.

DETESTATIONES XXIII.

1. Non ſimus ſecuri. Diabolus enim etiam ſanctiſſimis hominibus, imò Chriſto ipſi non pepercit.
2. Non eligamus pro noſtro arbitrio vitæ genus, de quo nec verbum, nec mandatum Dei extat.
3. Non exiſtimemus caſu nobis euenire varias calamitates. Nam Spiritus ſancti ductu veniunt pii in deſertum, hoc eſt, certo Dei conſilio nonnunquam tentationum procellis obiiciuntur.
4. Non murmuremus aduerſus Deum, ſi quando victu & aliis ad vitæ ſuſtentationem neceſſariis deſtituimur. Solo enim verbo Deus nobis opitulari poteſt.
5. Non petamus noua miracula à Chriſto. Gens enim adulterina ſigna quærit.

6. Non

6. Non ponamus nimiam fiduciam in bona corporalia, quia non ex solo pane viuit homo.

7. Diabolo semel fugato non deponamus arma spiritus. Mox enim & quidem astutior, quàm antea, redire solet.

8. Curam ventris & impiam solicitudinem abiiciamus, nec modis illicitis victum quæramus.

9. Intemperantiam fugiamus, vt labores vocationis nostræ rectius à nobis curari possint.

10. Inanem gloriam fugiamus.

11. Non necessaria omittamus.

12. Deum non tentemus.

13. Nec pericula non necessaria temerè nobis accersamus.

14. Ministerio sanctorum angelorum non abutamur.

15. Non decipiamur prætextu, quem sacræ scripturæ testimonio hæretici suis falsis dogmatibus faciunt. Diabolus enim ipse scripturam citare nouit.

16. Non audiamus diabolum, Dei bonitatem immodicè exaggerantem, vt securitatem in nobis augeat.

17. Mundi huius opes non plus, quàm Deum ipsum, amemus.

18. Non

18. Non adoremus Diabolum, quod omnes amari Idolatræ faciunt.
19. Diuitias, quæ sine peccato haberi non possunt, minimè appetamus.
20. Æternam animæ salutem non postponamus bonis temporalibus.
21. Non credamus diabolo multa promittenti. Mendax enim est, & plura, quàm dare potest pollicetur.
22. Sanctos mortuos vel alias creaturas non adoremus.
23. Custodiam sanctorum angelorum nostra impietate non impediamus.

DOMINICA REMINISCERE, Euangelium Matth. 15.

Et egressus inde Iesus, secessit in partes Tyri &c.

QVÆSTIONES SIMPLICES XXIIII.

1. DE secessu Christi, & eius caussis.
2. De Chananæa muliere.
3. De miseriis variis generis humani.
4. De cruce piorum.
5. De diaboli tyrannide & potestate.
6. De peccatis iuuentutis & eorum pœnis.
7. De amore parentum erga liberos.

8. De precatione.
9. De tentationibus, quæ obstrepunt precantibus.
10. De variis fidei impedimentis.
11. De silentio Christi & caussis eius.
12. De intercessione Apostolorum.
13. De officio & ministerio Christi, ad quos pertinuerit.
14. De prærogatiuis Iudæorum.
15. De perditis ouibus Israël.
16. De Ecclesia, vnde & ex quibus colligatur.
17. De filiis Dei.
18. De pane filiorum.
19. De canibus & eorum micis.
20. De prædestinatione & electione ad vitam æternam.
21. De fidei effectibus & commodis.
22. De consolationibus opponendis tentationibus & impedimentis fidei.
23. De miraculis Christi.
24. Allegoria de imagine Ecclesiæ, quam refert hæc mulier. Multos enim habet decumbentes, & à diabolo obsessas filias & filios, quos omnes precibus suis ex faucibus diaboli eripit.

CONIVNCTAE XVIII.

1. Quòd Euangelium Christi etiam ad gentes pertineat. Quia Christus in finibus earum docuit

docuit & miracula fecit.
2. Quòd apud Deum non sit mas aut fœmina, sed omnes vnum in Christo.
3. Quòd precatio piorum non propria pietate, aut meritis, sed sola Dei misericordia nitatur.
4. Quòd propter peccata tam iuuenes quàm senes, variis calamitatibus & deniq; morti ipsi sint obnoxij.
5. An & quatenus in nos & nostros diabolus sæuire possit?
6. Quòd Deus nonnunquam ad preces piorum aliquandiu tacere soleat.
7. An Papistæ sanctorum inuocationem ex hac discipulorum intercessione rectè asserant?
8. An CHRISTVS ad solos Iudæos missus sit?
9. An & quasnam præ aliis gentibus Iudæi prærogatiuas habuerint?
10. Quòd inter precandum non ad omnes diaboli tentationes respondendum, sed in fide perseuerandum sit.
11. An Deus respiciat personas, nec æquè omnibus hominibus beneficia filii sui contingere velit?
12. Quòd sanctum non sit dandum canibus.
13. Quòd indigni peccatores non prorsus à gratia Dei excludendi sint.

14. An

14. An promissiones Dei sint vniuersales & ad omnes populos pertineant?
15. Quòd perseuerantes in fide tandem omnia, quæ volunt, impetrent.
16. An fides aliena iustificet?
17. Quòd Christus sit verus Deus & victor diaboli.
18. Quòd Christus respiciat fidem, & verè exaudiat in fide inuocantes.

ADHORTATIONES XIIII.

1. Ministri verbi, dum bona conscientia possunt, cedant furori hostium veritatis.
2. Verbum Dei attentè & studiosè audiamus. Solet enim Christus recedere à contemptoribus.
3. In omnibus calamitatibus ad Christum confugiamus. Potest enim & vult iuuare inuocantes.
4. Crucem sanctam magnificiamus. Multiplex enim vsus eius est, vt in hac muliere cernitur.
5. Parentes liberos suos non tantum corpore, sed etiam anima à Christo sanari petant.
6. Liberi agnoscant amorem parentum, & grauissimos dolores, quos sæpissimè ipsorum gratia sustinent, & pro his omnibus debitam gratitudinem præstent.

7. Iu-

7. Iuuenes ambulent in timore Dei, & à diabolo se custodiri petant. Non minus enim liberis quam parentibus hic hostis insidiatur.

8. Pro sanitate, & corporis nostri viribus, agamus Deo gratias. Nisi enim ipse nos clementer custodiret, singulis momentis nos diabolus læderet.

9. Fide & precatione ardenti omnes tentationes vincamus.

10. Proximi calamitate afficiamur, & si dilectionem nostram alia ratione declarare non possumus, saltem apud Deum pro eo precatione intercedamus.

11. Singuli in sua vocatione maneant. Christus enim curriculum suum modo à patre præscripto absoluere voluit.

12. Tentationi de indignitate nostra, Euangelii de gratuita iustitia doctrinam opponamus.

13. Mulieris huius exemplum in patientia, humilitate & fidei constantia imitemur.

14. Indignitatem nostram agnoscamus, & fateamur quidem, sed ita, ne propterea de gratia Dei desperemus.

DETESTATIONES XIIII.

1. Ingratitudinis & neglectus verbi, quibus Christus à finibus nostris expellitur.

2. Mini-

2. Ministri Ecclesiæ non denegent operam suam etiam indignis peccatoribus, sed vbi possint, illis inseruiant.

3. In calamitatibus non tantùm cogitemus quales nos simus, sed multò magis, qualis sit ille, cuius opem imploramus.

4. Peccatores non sinant se absterrere suam indignitatem, quò minus ad Christum confugiant.

5. Parentes non curent tantùm corpus liberorum, neglecta interim animæ salute, quod tamen vsitatissimum est in mundo.

6. Iuuenes non sint securi, nec perpetuam sibi vitam polliceantur. Sathan enim acerrimus hostis est totius generis humani.

7. Non offendamur nec mox indignemur, quando Christus ad preces nostras surdus esse videtur.

8. Clamorem pauperis non negligamus.

9. Non disputemus cum diabolo, nec ad omnes eius obiectiones inter orandum respondeamus, sed preces nostras assiduè repetamus, & promissionibus Dei constanter innitamur.

10. Diuites opes suas non inutiliter profundant, nec panem & alia, vnde pauperes sustentari possent, canibus obiiciant.

11. Sanctum non obiiciamus canibus.

12. Nec tamen miseros peccatores à gratia DEI prorsus excludamus.

13. Non mox iudicemus aut damnemus quenquam. Christus enim etiam in Cananea muliere fidem reperit & cum admiratione prædicat.

14. Diaboli potentiam non immodicè metuamus, Christus enim in momento & quidem vnico verbo ipsum eiicere & vincere potest.

DOMINICA OCVLI,
Euangelium Luc. 11.

Et erat eiiciens dæmonium &c.

QVÆSTIONES SIMPLICES XXXIII.

1. DE diaboli potentia & malitia.
2. De operibus diaboli.
3. De variis calamitatibus hominum & earundem caussis.
4. De obsessis.
5. De dono linguæ.
6. De mutis.
7. De miraculo Christi.
8. De diuersis spectatoribus huius miraculi.
9. De Beelzebub, principe dæmoniorum.

10. De

10. De blasphemiis & peccato in Spiritum sanctum.
11. De regno Sathanæ.
12. De concordia in illo regno.
13. De Exotcistis.
14. De digito Dei.
15. De regno Dei.
16. De aduentu huius regni.
17. De victoria Christi.
18. De palatio Diaboli & eius destructione.
19. De armis Diaboli.
20. De spoliis distributis.
21. De fuga & reditu diaboli.
22. De requie diaboli, qualem quærat.
23. De locis inaquosis, in quibus Diabolus requiem non habet.
24. De domo vel mansione diaboli.
25. De Scopis, quibus domus Satanæ mundatur.
26. De septem nequioribus, quos diabolus assumit.
27. De incommodis & peccatis sequentibus inhabitationem diaboli.
28. De Apostatis.
29. De vera beatitudine.
30. De muliere extollente vocem, & eius verbis.
31. De Ecclesia & veris eius membris.
32. De dignitate & fructibus Euangelij.

33. Allegoria de homine obsesso, qui est imago totius generis humani.

CONIVNCTAE XXI.

1. An diabolus possit omnes, quos vult, possidere & exagitare?

2. An diabolus, vbicunque vult, vsum membrorum corporis impedire possit?

3. An homo sine iactura salutis suæ, linguæ, auditu, & aliis donis carere possit?

4. Quòd Christus sit victor diaboli, & ad hoc in mundum venerit, vt opera eius destrueret.

5. Quòd Christus non in Beelzebub, sed digito Dei, hoc est, diuina sua potentia, dæmonium eiecerit.

6. Quòd Diabolus corpori & animæ hominum insidietur.

7. Quòd Christus dona & vires corporis nostri dare & conseruare possit.

8. Quòd omnibus temporibus diuersi auditores Euangelii inuenti fuerint.

9. An in Beelzebub eiici dæmonium, hoc est, an diabolus diabolum eiicere & fugare possit?

10. Quòd etiam homines diuina potentia dæmonium eiicere possint.

11. Quòd Deus hodie adhuc per verbum & sacramenta sit efficax, & regnum diaboli destruat.

12. Quòd

12. Quòd omnis ministerii efficacia sit ex Deo, vel digito Dei.

13. Quòd regnum Dei certò perueniat ad eos, qui digitum Dei in ministerio agnoscunt, & beneficio eius vtuntur.

14. Quòd diabolus interdum Deo permittente, per sua organa oraculis hominum præstigias offundere possit.

15. Quòd per solum Christum sit victus diabolus, atrium eius destructum, & spolia eius distributa.

16. Quòd Christus in regno suo non ferat neutrales.

17. Quòd diabolus semel eiectus mox redire soleat.

18. Quòd diabolus habitet in impiis,

19. Quòd diabolorum vnus altero sit nequior.

20. Quòd in regno Dei non valeat carnalis prærogatiua.

21. Quòd sola fide in Christum iustificemur.

ADHORTATIONES XVIII.

1. Ad timorem Dei & preces assiduas, pro custodia & protectione diuina contra diabolum.

2. Ad pium & legitimum vsum linguæ & omnium membrorum corporis.

3. Ad sobriam miraculorum Christi considerationem.

4. Ad concordiam & ſtudium pacis, in omnium hominum ſtatibus. Regnum enim in ſe diuiſum deſolabitur.

5. Ad patientiam contra iniqua mundi iudicia. Quia idem Chriſto etiam accidit.

6. Sit ſermo noſter ſimplex, & cor etiam rectum. Chriſtus enim arcana videt & iudicat.

7. Priuatas iniurias æquo animo feramus: ita tamen, vt Dei & miniſterii noſtri gloriam vindicemus.

8. Dignitatem & præſtantiam miniſterij agnoſcamus, & in eo digitum DEI admiremur.

9. Agamus Deo gratias, quòd in filio ſuo certum nobis contra diabolum præſidium & auxilium parauit, & eo etiam vtamur.

10. Spolia à Chriſto nobis diſtributa, fide apprehendamus.

11. Contra diaboli horrendam malitiam, hanc conſolationem teneamus, quòd à Chriſto victus, exutus, & catenis tenebrarum ligatus eſt Aduerſarius noſter.

12. Cum Chriſto colligamus, ne inter diſpergentes reperiamur.

13. Simus coniuncti cum CHRISTO & Eccleſia eius, verbis, factis, & corde inſuper ipſo.

14. Diabolo ſemel fugato omnes vias præcludamus, ne redire ad nos poſſit.

15. Vigilemus & oremus, ne in tentationem intremus.

16. Simplici & bono animo inconuenientia loquentes patienter toleremus, & rectè erudiamus, vt Christus hîc mulierem de vera beatitudine instruit.

17. Verba vitæ, quæ Christus loquitur, cum admiratione audiamus.

18. Verbum Dei corde fideli custodiamus.

DETESTATIONES XVI.

1. Securitatis ridentis aut saltem extenuantis diabolicam potestatem.

2. Abusus linguæ, quo multi grauissimas sibi pœnas accersunt.

3. Diuersitate iudiciorum de Christo & doctrina eius, non offendamur.

4. Rectè facta non malitiosè deprauemus.

5. Non petamus signum de cœlo, sed in verbis Christi simpliciter acquiescamus.

6. Manifestæ veritati non petulanter contradicamus.

7. Mala in cordibus nostris de hominibus bonis non cogitemus.

8. Discordiam, vt pestem exitiosam omnibus hominibus, fugiamus.

9. Miracula Christi & Ecclesiæ non cauillemur. Digito enim Dei facta sunt & fiunt.

10. Non etiam rideamus, quæ de efficacia

& dignitate ministerii in verbo Dei dicuntur.
11. Non nimium turbemur diaboli insidiis & malitia. A Christo enim victus, armis suis exutus & spoliatus est.
12. Non simus neutrales, nec in gratiam hominum doctrinam Christi oppugnemus.
13. Non paremus diabolo securitate nostra hospitium in cordibus nostris.
14. Non relabamur in peccata. Fiunt enim nouissima peiora prioribus.
15. Non moueamur mundi ingratitudine, aut multitudine contradicentium Christo, sed cum muliere hac ipsum laudemus & confiteamur.
16. Ita tamen, ne gloriam soli Deo propriam, creaturis tribuamus.

DOMINICA LÆTARE, Euangelium Ioh. 6.

Post hæc abiit Iesus trans mare &c.

QVÆSTIONES SIMPLICES XXI.

1. DE itinere vel nauigatione Christi & eius causa, quæ, vt ex Matthæo apparet, decollatio Ioannis Baptistæ fuit.
2. De sequela populi.

3. De

3. De diuersis miraculorum Christi spectatoribus.
4. De miraculis in genere.
5. De Paschate Iudæorum.
6. De φιλανθρωπία & paterna solicitudine Christi.
7. De prouidentia Dei.
8. De penuria & aliis calamitatibus sequentium Christum.
9. De quæstione CHRISTI proposita Philippo.
10. De responso Philippi & Andreæ.
11. De calamitatibus piorũ & earum caussis.
12. De rationis humanæ cæco iudicio.
13. De commodis eorum, qui verbum Dei studiosè audiunt. Reficiuntur enim corpore & anima à Christo.
14. De pane quotidiano, eius datore, & vsu vero.
15. De gratiarum actione Christi, & eius caussis.
16. De omnipotentia Christi.
17. De benedictione diuina & eius efficacia.
18. De propheta venturo in mundum.
19. De regno Christi.
20. De fuga Christi.
21. Allegoria de panibus, in quibus verbi diuina natura depingitur. Vt enim panes hic inter discipulorum manus crescunt, ita verbum

Dei, quo diutius tractatur, eò magis illucescit & crescit.

CONIVNCTAE XV.

1. An Christus eo fine secesserit in desertum, quo olim Monachi & Eremitæ in specus se abdiderunt, & hodie adhuc Anabaptistæ communem hominum societatem fugiunt?
2. An liceat fugere pericula, cùm Christus post decollationem Iohannis in desertum secesserit?
3. Quòd mortuos suo modo lugere & deplorare liceat.
4. An omnis solicitudo prohibita sit, nec cogitare liceat de crastino, cùm tamen Christus hic de emendis panibus inquirat?
5. Quòd Christus videat nostros defectus, & pro eis verè sit solicitus.
6. An & cur Christus suos tentet?
7. Quòd Christus in omni necessitate possit & velit nos iuuare.
8. An, quatenus, & vbi rationis nostræ acumine vti liceat?
9. An paterfamilias sumptus in œconomiam necessarios sine peccato computare possit?
10. Quòd ratio nostra diuina consilia non assequatur.
11. Quòd media licita non sint aspernanda.

12. Quòd

12. Quòd Christus sit Dominus creaturarum, & pro suo iudicio eas augere vel minuere possit.

13. An fragmenta colligere & thesauros reponere liceat?

14. Quòd Christus sit promissus ille in Mose Propheta.

15. Quòd regnum CHRISTI non sit de hoc mundo.

ADHORTATIONES XXVI.

1. Ad luctum moderatum ac pium defunctorum.

2. Ad sedulitatem in faciendis vocationis nostræ laboribus.

3. Ardens studium verbi, quod in turba hac commendatur.

4. Ad miraculorum & vsuum eorundem considerationem.

5. Doctores & omnes pii patresfamilias sedeant nonnunquam, & cum suis de regno Dei colloquantur.

6. Curam nostram conijciamus in dominum. Ipse enim de nobis semper est solicitus.

7. Secuturi Christum ad ferendam crucem nos præparemus.

8. Propter Christum & verbum eius paupertatem, & alias aduersitates moderate feramus.

9. Quæ-

Dei, quo diutius tractatur, eò magis illucescit & crescit.

CONIVNCTAE XV.

1. An Christus eo fine secesserit in desertum, quo olim Monachi & Eremitæ in specus se abdiderunt, & hodie adhuc Anabaptistæ communem hominum societatem fugiunt?
2. An liceat fugere pericula, cùm Christus post decollationem Iohannis in desertum secesserit?
3. Quòd mortuos suo modo lugere & deplorare liceat.
4. An omnis solicitudo prohibita sit, nec cogitare liceat de crastino, cùm tamen Christus hic de emendis panibus inquirat?
5. Quòd Christus videat nostros defectus, & pro eis verè sit solicitus.
6. An & cur Christus suos tentet?
7. Quòd Christus in omni necessitate possit & velit nos iuuare.
8. An, quatenus, & vbi rationis nostræ acumine vti liceat?
9. An paterfamilias sumptus in œconomiam necessarios sine peccato computare possit?
10. Quòd ratio nostra diuina consilia non assequatur.
11. Quòd media licita non sint aspernanda.

12. Quòd

12. Quòd Christus sit Dominus creaturarum, & pro suo iudicio eas augere vel minuere possit.
13. An fragmenta colligere & thesauros reponere liceat?
14. Quòd Christus sit promissus ille in Mose Propheta.
15. Quòd regnum CHRISTI non sit de hoc mundo.

ADHORTATIONES XXVI.

1. Ad luctum moderatum ac pium defunctorum.
2. Ad sedulitatem in faciendis vocationis nostræ laboribus.
3. Ardens studium verbi, quod in turba hac commendatur.
4. Ad miraculorum & vsuum eorundem considerationem.
5. Doctores & omnes pii patresfamilias sedeant nonnunquam, & cum suis de regno Dei colloquantur.
6. Curam nostram conijciamus in dominum. Ipse enim de nobis semper est solicitus.
7. Secuturi Christum ad ferendam crucem nos præparemus.
8. Propter Christum & verbum eius paupertatem, & alias aduersitates moderatè feramus.

9. Quæ-

9. Quæramus primùm regnum Dei & cætera omnia adiicientur nobis.

10. Errantes & infirmos in fide, non abiiciamus, sed vt Christus discipulos suos hîc quærendo & docendo eos exerceamus & confirmemus.

11. Cogitemus quidem de honestis rationibus parandi victum, & sumptus necessarios computemus, attamen sine diffidentia, auaritia & aliis peccatis.

12. Ratione & aliis ingenii donis in rebus licitis, & sine ignominia Christi, vtamur.

13. Oremus & laboremus, Dominumq; expectemus. Non prius enim adiuuare solet, quàm omnia humana præsidia cessarunt.

14. Simus contenti modico. Potest enim Christus dare quantum vult, & facere, vt saturatis omnibus tandem etiam abundet.

15. Proximi inopia afficiamur & super egenum & pauperem misereamur.

16. Panem quotidianum cum gratiarum actione accipiamus.

17. In quacunque difficultate mediis à Deo concessis vtamur.

18. Panem nostrum esurientibus frangamus.

19. Edamus & bibamus, quantum sat est, non quantum insatiabilis carnis cupido appetit.

20. Sufficiat nobis victus mediocris. Christus enim dilectis suis conuiuis præter panem

nem & piſcis nihil appoſuit.

21. Fragmenta diligenter colligamus.

22. Miniſtri Eccleſiæ fragmenta Propheticorum & Apoſtolicorum ſcriptorum conſeruent, & aliis diſtribuant.

23. Sequamur & prædicemus Chriſtum, non propter ventrem, ſed propter verbum & miracula eius.

24. Fidem in Chriſtum miraculorum aſpectu confirmemus.

25. Maneamus in vocatione noſtra, nec alienis nos immiſceamus.

26. Honores nobis non competentes recuſemus. Sequitur enim honos fugientes.

DETESTATIONES XV.

1. Contemtus verbi, qui hodie adeo inualuit, vt multis propter Dei verbum ante fores exire graue ſit, cùm tamen turba hæc in deſertum vſq; Chriſtum ſecuta ſit.

2. Cæcitatis eorum, qui neque verbo, neq; miraculis Chriſti mouentur.

3. Non ſinamus nos curam ventris impedire, quò minus verbum Dei audiamus.

4. Non deponamus curam piam & licitam, & neceſſariam ſolicitudinem, quam verbum Dei à nobis requirit.

5. Auaritiam & ventris impiam curam fugiamus.

6. In

6. In defectu rerum necessariarum, non mox spem omnem abijciamus. Christus enim dare potest quantum vult.

7. Non indignemur, si quando copia rerum destituimur. Christus enim nonnunquam etiam cum suis in deserto, sine abundantia panum fuit.

8. Non accurramus ad mensam sine precibus, vt sus ad lintrem.

9. Cibo & potu non nimium nos repleamus.

10. Prodigalitatem & profusionem non necessariam fugiamus.

11. Euangelio non propter priuata tantùm commoda adhæreamus.

12. Non laudemus in faciem tantum propter ventris commoda, & postea mox eosdem damnemus, vt consentaneum est multos ex his, qui Christum Prophetam hic esse prædicant, postea in mortem eius consensisse.

13. Ministri Ecclesiæ non captent auram popularem, nec vulgi fallacibus laudibus moueantur.

14. Inanem & vanam gloriam fugiamus.

15. Doctores Ecclesiæ non vnum in suggesto alterum in curia pedem habeant.

DOMI-

DOMINICA IVDICA,

Euangelium Ioh. 8.

Quis ex vobis arguet me de peccato &c.

QVÆSTIONES SIMPLICES XXIX.

1. DE innocentia Christi.
2. De veritate, seu vera doctrina Christi.
3. De cæcitate Iudæorum.
4. De verbo Dei.
5. De cauſſis contemptus & ſtudii verbi.
6. De diſcrimine veræ & falſæ Eccleſiæ.
7. Quid ſit eſſe ex Deo.
8. Cur Iudæi Chriſtum Samaritanum vocauerint.
9. De honore patris cœleſtis.
10. De commodis verborum CHRISTI vel Euangelij.
11. De morte temporali.
12. De morte æterna.
13. Quid ſit videre & guſtare mortem.
14. De differentia inter mortem piorum & impiorum.
15. De iudicio Dei.
16. Quid ſit quærere gloriam.
17. De gloria Chriſti.
18. De vera Dei agnitione & eius cauſſis.

19. Quid

19. Quid sit seruare verbum Dei.
20. De Abrahamo & fide eius.
21. Quid sit videre Christum.
22. Quomodo Abraham hunc diem viderit.
23. De gaudio Abrahæ.
24. De iustitia fidei omnium piorum, in veteri & nouo testamento.
25. De Christi diuinitate.
26. De odio Iudæorum aduersus Christum.
27. De indurationc impiorum.
28. De peccato in Spiritum sanctum.
29. De fuga periculorum duplici, licita & illicita.

CONIVNCTAE XIIII.

1. Quòd Christus fuerit perfectè iustus & sine omni peccato.
2. An liceat gloriam quærere, vel de sanctitate propria gloriari?
3. Quòd contemptus verbi sit opus diaboli.
4. Quòd sine gratia Spiritus sancti verbum Dei nemo rectè audire & seruare possit.
5. Quòd Deus per ministerium verbi verè sit efficax.
6. Quòd seruantes verbum viuant in æternum.
7. Quòd mors piorum non pro morte, sed somno habenda sit.
8. An & quomodo Christus maior sit Abrahamo?

9. Quòd

9. Quòd extra Christum non sit vera Dei agnitio. Qui enim non honorat filium, patrem etiam non honorat.
10. Quòd sancti Patriarchæ habuerint veram venturi Messiæ notitiam.
11. Et quòd fide in ipsum iustificati sint.
12. Quòd fides in Christum adferat gaudium & conscientiæ pacem.
13. Quòd Christus sit verus & æternus Deus.
14. An, quando, & vbi fugere pericula liceat?

ADHORTATIONES XVII.

1. Ministri Ecclesiæ studeant conseruare conscientiæ integritatem, & esse irreprehensibiles in doctrina & conuersatione.
2. Simus parati etiam aduersariis de fide & vita nostra rationem reddere.
3. Ex innocentia Christi petamus hanc consolationem, quòd iustus sit passus pro iniustis.
4. Verbum Dei audiamus & seruemus.
5. Donum Spiritus sancti à Deo petamus, quia sine eo impossibile est verbum vel intelligere, vel corde fideli custodire.
6. Conuitia & opprobria mundi æquo animo feramus. Non enim est seruus maior domino suo.
7. Aduersarios verbo veritatis conuincamus.
8. Ministerii nostri honorem tueamur.

9. Proprias verò & priuatas iniurias patienter feramus.

10. Euangelium Christi ideo etiam magnificiamus, quòd seruantes illud, mortem non videbunt in æternum.

11. Potissima nostra cura sit propagare gloriam Dei, sicut Christus hic de eo magis est solicitus, quam de conuiciorum refutatione.

12. Euangelij doctrinam à Christo & Apostolis traditam, credamus eam esse, quæ ab initio mundi in Ecclesia Dei sonuit.

13. Vindictam & omne iudicium committamus Deo.

14. Veritatem constanter cõfiteamur, quantumuis etiam diabolus & mundus contra fremant.

15. Exemplum Abrahæ in fide vera imitemur.

16. Fide in Christum exultemus & lætemur.

17. Pericula, dum bona conscientia possumus, fugiamus.

DETESTATIONES XII.

1. Non nobis, sed soli Deo perfectæ iustitiæ gloriam attribuamus.

2. Ecclesiæ ministri omnem etiam speciem mali fugiant, ne prauo exemplo plus destruant, quàm verbo reædificare possint.

3. Non

3. Non repugnemus veritati. Discedit enim tandem Spiritus sanctus ab hostibus veritatis.

4. Contemptum concionum sacrarum non putemus leue peccatum esse. Ex diabolo enim sunt, qui verbum Dei non audiunt.

5. Abstineamus à maledictis & conuiciis. Nam veritas etiam sine eis defendi potest.

6. Admoniti de peccatis non, vt hîc Iudæi, maiore odio incendamur.

7. Munere Ecclesiastico non abutamur ad inanem gloriam, nec eam etiam quæramus.

8. Propter hominum conuitia non cessemus veritatem dicere & propugnare.

9. Non metuamus nimium mortem. Credentes enim in CHRISTVM eam non videbunt.

10. In hominum gratiam veritatem non reijciamus.

11. Mendacia non minus quam diabolum ipsum fugiamus.

12. Non expellamus à nobis Christum, nec manus rectè monentibus inferamus.

IN DIE PALMARVM.

vide supra 1. Dominica Aduentus.

THEMATA CONCIONVM
SEV

SYLVA LOCORVM IN SINGVLA EVANGELIA, QVÆ VSITATO more diebus Dominicis in Ecclesia Dei proponuntur.

Bono studio & fideli labore collecta & conscripta

PER

REVERENDVM ET CLARISSIMVM VIRVM DN. M. ANDREAM PANCRATIVM Ecclesiæ Curiensis olim Pastore, & vicinarum inspectore fidelissimo.

Hactenus diu exoptata, nunc verò primùm in lucem edita.

PARS SECVNDA.

COMPLECTENS EVANGELIA à die Paschatis vsq; ad festum Aduentus Domini.

ANNO M. D. XCVII.

IN DIE RESVRRECTIONIS DOMINI,

Euangelium Marc. 16.

Et cum præteriisset Sabbatum &c.

QVÆSTIONES SIMPLICES XVII.

1. DE festo, vel Paschate veteris & noui testamenti, & vtriusq; caussis & forma.
2. De sepultura mortuorum apud Iudæos.
3. De eorum vnctionibus.
4. De Ecclesia, vnde colligatur.
5. De infirmis & docilibus in Ecclesia.
6. De mulieribus ementibus aromata, & earum virtutibus.
7. De Sabbatis.
8. Cur hodie pro septimo die primus sanctificetur.
9. De sepulchro Christi.
10. De Angelorum officio & fortitudine.
11. De turbatione & metu mulierum.
12. De consolatione Angeli.
13. De gaudio, quod resurrectionem Christi in cordibus piorum sequi debet.

14. De cauſſis & finibus reſurrectionis Chriſti.

15. De miſericordia Dei erga Petrum & alios miſeros peccatores.

16. De certitudine verborum Chriſti, quam Angeli hìc ſuo teſtimonio comprobant, dicentes: Ibi eum videbitis, ſicut dixit vobis.

17. De variis Chriſti reſuſcitati apparitionibus.

CONIVNCTAE XVII.

1. An rectè faciat Eccleſia, ſanctificans hodiè pro ſabbato diem Dominicum, cùm Deus ipſe propter requiem ſuam ſeptimum diem obſeruare & ſanctificare iuſſerit?

2. An liberum ſit Eccleſiæ, propter probabiles rationes in rebus mediis aliquid mutare?

3. Quòd Deus etiam in infirmitate virtutem perficere, & ſexum muliebrem non minus quam virilem in ſocietatem Eccleſiæ recipere velit.

4. Quòd omni tempore in populo Dei mortui honorificè ſepulti ſint.

5. Quòd fides vera non ſit ſine ſuis fructibus, & variis bonis operibus.

6. Quòd credentes non conſiderent obſtacula, nec vllam ſeſe vel incommoditatem vel difficultatem impedire ſinant, quando Deo gratum facere poſſunt. Sicut hìc mulieres

ſummo

ſummo mane ſine metu aut horrore ad ſepulchrum accedunt, nec prius de reuoluendo lapide cogitant, quàm ipſum aſpiciunt.

7. Quòd Angeli gloriæ Chriſti & hominum ſaluti cum ſummo gaudio inſeruire ſoleant.

8. Quòd Angeli variis & diuerſis formis nonnunquam appareant.

9. Quòd natura humana nec in proſperis nec aduerſis ſe rectè gerere poſſit. Stupent enim mulieres ad illud angeli nuncium, quod cum gaudio accipere debebant.

10. Quòd proprium ſit bonorum Angelorum conſolari, diaboli vero terrere & perturbare.

11. Quòd Chriſtus verè & vi propria ex morte reſurrexerit.

12. Et quòd nos etiam in illo die ad vitam æternam ſit reſuſcitaturus.

13. An Sacramentarij ex his verbis: Surrexit non eſt hìc &c. ſufficienter probare poſſint, opinionem ſuam, qua Chriſti corpus ita in certum aliquem locum includunt, vt interea nulla etiam ratione alibi eſſe poſſit?

14. Quòd Deus lapſos agentes pœnitentiam in gratiam recipere velit.

15. Quòd fructus paſſionis, mortis, & reſurrectionis Chriſti, etiam ad miſeros & indignos peccatores pertineat.

16. Quòd Chriſtus poſt ſuam reſurrectio-

nem non ſolum in Galilæa, ſed multis aliis etiam locis ſe diſcipulis ſuis viuum oſtenderit.
17. Quòd ſummus Dei ſit cultus, credere in Chriſtum reſuſcitatum.

ADHORTATIONES XIII.

1. Sabbatum obſeruemus, & modo iuſto ſanctificemus.
2. Mortuos honorificè ſepeliamus, & poſtrema charitatis officia eis ſedulò præſtemus.
3. Exemplum harum mulierum in fide & dilectione Chriſti imitemur.
4. Spem de reſurrectione mortuorum firmam eſſe in cordibus noſtris, externis operibus teſtemur.
5. Etiam mortuos plò amore proſequamur, & de eis honorificè ſentiamus, & loquamur.
6. Cum fide ſexus muliebris, ſemper ſit coniuncta verecundia & ſtudium honeſtatis.
7. Infirmos in fide conſolemur & confirmemus.
8. Chriſtum verè reſurrexiſſe credamus.
9. Gloriam Chriſti reſuſcitati in toto mundo prædicemus & celebremus.
10. Verbo ſubindè ſigna, fidem confirmantia, addamus, ſicut Angeli hìc de monſtratione lo-

ne loci, vbi Christus iacuerat, verba sua comprobant.

11. Conuersi ad Deum, fratres etiam infirmos confirmemus, sicut Angeli præcipiunt mulieribus, vt Christi resurrectionem Petro nuncient.

12. Verbis CHRISTI fidem adhibeamus, quia Angelus certitudinem eorum hic affirmat.

13. Infirmos in fide ad scripturam ablegemus, sicut Angeli mulieres ad verba Christi remittunt.

DETESTATIONES IX.

1. Amicos tempore nubilo non deseramus, sed fidem & amorem in mortem vsq; constanter conseruemus, seu retineamus.

2. Viribus nostris non nimium fidamus, quia dum mulieres ad monumentum abeunt, Apostoli in angulis abditi latitant, nec præ metu vspiam apparere audent.

3. Si quæ difficultates in eis, quæ bono & pio studio suscipimus, nobis obstant, non hoc nos absterreat. Dabit enim Deus successus, vt hic ab angelo lapis remouetur.

4. Non quæramus viuos apud mortuos, nec defunctos, ceu nunquam victuros deploremus.

5. Aspectu bonorum angelorum non turbemur.

6. Non relinquamus in dubio infirmos, sed quibuscunq; possumus rationibus, eos in fide confirmemus.

7. Non desperemus in peccatis nostris, cùm Deus resurrectionem filij sui etiam transfugis & miseris peccatoribus annunciari velit.

8. Non cessemus quærere Christum, etiamsi non mox pro arbitrio nostro inuenitur. Ostendet enim sese tempore & loco opportuno.

9. Non dubitemus de nostra resurrectione, quia in illo die certò ipsum videbimus, sicut dixit nobis. Ioan. 14. Iterum veniam & accipiam vos ad me ipsum, vt vbi ego sum, & vos sitis.

DOMINICA QVASIMODO geniti, Euangelium Ioh. 20.

Cum ergo vespera esset &c.

QVÆSTIONES SIMPLICES XIX.

1. DE metu discipulorum.

2. De resurrectione & apparitionibus Christi.

3. De ingressu Christi per ianuas clausas.

4. De

4. De corpore Christi clarificato.
5. De philanthropia Christi.
6. De fructibus resurrectionis Christi.
7. De pace Christi.
8. De signis confirmantibus fidem.
9. De gaudio Apostolorum.
10. De ministerio Euangelii, quid sit.
11. De forma & fine huius ministerii, & verbis: sicut misit me pater &c.
12. De afflatu Christi.
13. De dono Spiritus sancti.
14. De potestate clauium.
15. De remissione peccatorum.
16. De retentione peccatorum & excommunicatione.
17. De dignitate & efficacia ministerii.
18. De discrimine potestatis Ecclesiasticæ & politicæ.
19. De regno Christi, quale sit.

CONIVNCTAE XVIII.

1. Quòd Christus corpore suo vero ianuis clausis ad discipulos ingressus sit.
2. Quòd Christi corpus clarificatum multas habeat præ nostris corporibus, qualia sunt in hac vita, prærogatiuas.
3. Quòd etiam nostra corpora in resurrectione acceptura sint inenarrabilem gloriam.
4. Quòd incredulitas pariat timorem & trepida-

pidationem in cordibus hominum.
5. Quòd fides vera foris pellat timorem.
6. Quòd lapsi possint redire in gratiam cum Deo.
7. Quòd extra Christum non sit pax, aut conscientiæ tranquillitas.
8. Quòd Christus possit dare requiem animabus nostris.
9. Quòd pax conscientiæ sit fructus resurrectionis Christi.
10. Quòd pax Christi non sit de hoc mundo.
11. Quòd Christus in resurrectione sua humanam naturam semel assumptam non deposuerit.
12. Quòd ministerium Euangelii, sit ordinatio Dei.
13. Quòd Apostoli plenam in Ecclesia potestatem acceperint.
14. Quòd per ministerium detur & verè efficax sit Spiritus sanctus.
15. Quòd non concessum sit ministris, sine expresso verbo priuata authoritate quidquis ordinare & statuere.
16. Quòd remissio peccatorum quæ à ministris Ecclesiæ in nomine Christi annunciatur, etiam in cœlis firma & rata sit.
17. Quòd excommunicatis ab Ecclesia verè retineantur peccata.

18. Quòd

18. Quòd priuata absolutio in Ecclesia retineri debeat.

ADHORTATIONES XIIII.

1. Infirmos in fide visitemus, & confirmemus.

2. Turbatis conscientiis in nomine Christi pacem annunciemus.

3. Pacem Christi accipiamus, & corde fideli custodiamus.

4. Cum verbo semper vsum Sacramentorum coniungamus. Ab initio enim voluit Deus fidem verbo & signis confirmari.

5. De resurrectione Christi nos etiam lætemur.

6. Christum habere præsentem, pro summo ducamus gaudio.

7. Ministerium Euangelii magnifaciamus non solum ideo, quòd Christus instituit, sed quia per id sua etiam nobis beneficia distribuit.

8. Ministri tueantur conformitatem & consensum doctrinæ.

9. Et crucem etiam sanctam patienter ferant. Vtrunque enim complectitur Christus dicens: Sicut misit me pater, ita & ego mitto vos.

10. Petant etiam se regi à Spiritu sancto, & per eum dari verbo efficaciam.

11. Offi-

11. Officium nostrum cum magna fiducia faciamus. Cùm enim Christus donum Spiritus sancti nobis promiserit, non erit labor noster inanis in Domino.

12. Pœnitentibus peccatoribus remittamus peccatum.

13. Impœnitentes autem excommunicemus.

14. Auditores vtrunq;, tam excommunicationis quam absolutionis vim certissimè credant.

DETESTATIONES XII.

1. Non metuamus nimium homines. Vitio enim hîc discipulis vertitur, quod ex metu Iudæorum ianuas tam diligenter occluserunt.

2. Propter nostra peccata non fugiamus à Christo. Venit enim quærere & saluare ouem perditam.

3. Non deficiamus à Christo metu Iudæorum.

4. Non extenuemus peccata. Discipuli enim conscii sibi turpis suæ defectionis, nesciunt quò fugiant.

5. Lapsis non denegemus veniam, quia Christus etiam infirmos discipulos in gratiam recepit.

6. Non omittamus quicquam eorum, quæ ad confirmationem infirmorum faciunt.

7. Non indulgeamus cordis nostri incredulitati,

litati, sed tandem cum gaudio vincamus dubitationes.

8. Si quid efficitur per ministerium, non nobis, sed solo Deo tribuatur gloria.

9. Non ingrediamur via alia ab ea, quam Christus nobis præscripsit, dicens: Sicut misit me pater &c.

10. Non damnemus aut extenuemus dignitatem verbi vocalis, verè enim per illud Christus est efficax.

11. Non desperemus in peccatis nostris. Ad hoc enim Christus dedit Ecclesiæ suæ potestatem clauium, vt pœnitentes absoluantur.

12. Non rideamus fulmen excommunicationis. Quicquid enim ligatur in terris, ligatum etiam erit in cœlis.

DOMINICA MISERICORDIÆ Domini, Euangelium Ioh. 10.

Ego sum pastor bonus &c.

QVÆSTIONES SIMPLICES XIIII.

1. DE pastorali Christi officio.
2. De fine mortis Christi.
3. De fine mortis sanctorum martyrum.
4. De officio ministrorum Ecclesiæ ex simili de pastore bono.

5. De Mercenariis.
6. De lupo, quis & qualis sit.
7. De speciebus ouium. Sunt enim duplices, videlicet audientes & negligentes vocem pastoris.
8. De officio auditorum verbi, & collatione cum natura ouium.
9. De mutua agnitione Dei patris & filij.
10. De Christi agnitione ouium.
11. De Ecclesiæ materia ex qua, vel vnde colligatur.
12. De causa instrumentali collectionis Ecclesiæ, quæ fit verbo vel voce pastoris.
13. De sanctorum communione.
14. De vno ouili in vita futura.

CONIVNCTAE VI.

1. An Christus omnes alios, etiam fideles Ecclesiæ doctores, Prophetas & Apostolos excellat?
2. An sancti Martyres etiam posuerint animam suam pro ouibus?
3. An liceat nonnunquam fugere pericula præsertim Ecclesiæ ministris?
4. An concessum sit auditoribus Euangelij iudicare de vita & doctrina ministrorum.
5. An gentes etiam pertineant ad societatem Ecclesiæ?
6. An in hac vita speranda sit vniuersalis concordia,

cordia, & talis Ecclesiæ tranquillitas, quæ omni dissensione & distractione docentium auditorum careat?

ADHORTATIONES XI.

1. Ad fiduciam & spem firmam in omnibus aduersis. Habemus enim Christum pastorem cognoscentem, ducentem, imò gestantem & custodientem oues suas.
2. Ad fidelitatem & assiduitatem, quam in ministro Euangelij Christus hìc requirit.
3. Ad fortitudinem & constantiam in periculis.
4. Ad diligentiam in discernendis diuersarum ouium diuersis pabulis.
5. Ad assiduam & crebram repetitionem & inculcationem articuli de Christo. Eò enim omnes conciones dirigendę sunt, vt Christus ouibus suis innotescat.
6. Ad timorem Domini & precationem ardentem. Circumit enim lupus diabolus vt leo rugiens.
7. Ad iustam in studio verbi diligentiam, quę tanta esse debet, vt possint tandem auditores discernere inter vocem pastoris boni & Mercenarij.
8. Ad veram Christi cognitionem, quia dicitur: Cognoscor à meis.
9. Ad obsequium verbi. Debent enim oues

audire & sequi vocem pastoris.
10. Ad studium pacis & concordiæ. Debent enim doctores Ecclesiæ dare operam, vt animi auditorum coalescant, & ex distractis & dissentientibus etiam vnum ouile fiat.
11. Vt Ethnici audiant vocem Christi & vna se Ecclesiæ coniungant.

DETESTATIONES X.

1. Ignauiæ
2. Infidelitatis
3. Pusillanimitatis
4. Auariciæ

} in ministris Ecclesiæ.

5. Securitatis auditorum, qui, quia lupum non timent, ab eo rapiuntur & deuorantur.
6. Ingratitudinis eorum, qui neque Christi neque aliorum fidelium pastorum beneficia agnoscunt.
7. Metus immodici, qui oritur ex ignorantia Christi & officii eius.
8. Contemptus verbi & vocis Christi.
9. Scandalorum vel in vita, vel doctrina ministrorum, quibus non minus, quam per lupi aduentum, oues dispergunturs & offenduntur.
10. Liuoris & inuidentiæ Iudæorum, qui nobis gratiam Dei denegant, & ex ouili Dei miseras gentes excludunt.

DOMI-

DOMINICA IVBILATE,

Euangelium Ioh. 16.

Pusillum & non videbitis me &c.

QVÆSTIONES SIMPLICES XIIII.

1. DE Christi morte.
2. De resurrectione Christi.
3. De abitu ad Patrem, & ascensione ad cœlos.
4. De cæcitate humana in rebus spiritualibus.
5. De lenitate Christi, qui ignorantes, attamen dociles discipulos non abiicit, sed benignè instruit & docet.
6. De crucis causis, impulsiuis, formalibus, & finalibus, & efficiente, ex simili de parturiente.
7. De fortuna piorum in hac vita qualis sit.
8. De odio & insultatione mundi.
9. De liberatione diuina ex ærumnis.
10. De discrimine inter gaudium piorum & impiorum, quorum hoc momentaneum, illud verò perpetuum erit.
11. De doloribus parturientium & eorum caussis.
12. De dignitate & excellentia vitæ futuræ.

13. De gaudio piorum in vita æterna.
14. De cognitione Dei in hac & futura vita.

CONIVNCTAE VII.

1. Quòd regnum Christi non sit de hoc mundo, sicut Iudæi somniarunt.
2. Quòd Christus sciens & volens sit mortuus.
3. An sancti possint errare?
4. An liceat in aduersis lugere & plorare?
5. Quòd sub cruce maxima & firmissima sit consolatio, videre & habere præsentem Christum.
6. An gaudium piorum in hac vita sit perpetuum, cùm hic dicatur: Gaudium vestrum nemo tollet à vobis?
7. An dona piorum in hac vita sint perfecta?

ADHORTATIONES XI.

1. Ad patientiam. Quia crux nostra exigua & modica ingentes habet vtilitates quæ ex simili de parturiente recitari possunt.
2. Ad iustam diligentiam in audiendis de cruce concionibus. Quia modicum, de quo Christus hic loquitur, non intelligimus, id est, crucem nostram breuem fore difficulter credimus.
3. Vt infirmos contra futurum scandalum probè præmuniamus.

4. Con-

4. Conciones de cruce sæpe repetamus, & auditoribus probè inculcemus.

5. Auditores de sacris concionibus inuicem conferant, & declarationem eorum, quæ obscurius dicta videntur, petant.

6. Infirmos in fide, vt Christus hic suos discipulos, suscipiamus & confirmemus.

7. Ad fortitudinem in aduersis. Quia Christus vult nobis adesse opitulator & liberator.

8. Ad mansuetudinem & patientiam aduersus insultationes mundi.

9. Ad patientiam in doloribus partus, quos Christus hic sanctissimæ piorum cruci assimilat.

10. Ad modestiam. Quia ex parte iam tantum cognoscimus.

11. Ad desiderium vitæ futuræ, in qua demum erit perfectum & perpetuum piorum gaudium, coniunctum cum ineffabili gloria.

DETESTATIONES VIII.

1. Impatientiæ & pusillanimitatis in cruce. Quia post modicum rursus videbimus Christum.

2. Præsumptionis & confidentiæ carnalis eorum, qui etiam in rebus cœlestibus sibi nimium sapere videntur, cum tamen Apostolos

los non mox omnia assecutos esse constet.

3. Vanæ persuasionis & securitatis, qua multi sibi perpetuam in hac vita felicitatem pollicentur.

4. Infidelitatis doctorum eorum, qui errantes vel hæsitantes in perpetuo relinquunt dubio.

5. Diabolicæ insultationis (ἐπιχαιρεκακίας) qua homines peruersi omnibus temporibus solent esse molesti piis, sub cruce constitutis.

6. Ne frangamur mundi insultationibus.

7. Immodici luctus in aduersis.

8. Non decipiamur fallaci mundi gaudio.

DOMINICA CANTATE,
Euangelium Iohan. 16.

Nunc vado ad eum &c.

QVÆSTIONES SIMPLICES XIIII.

1. DE effectibus seu vtilitatibus mortis & ascensionis Christi.

2. De ignorantia Apostolorum & imbecillitate humana.

3. De cruce.

4. De tristitia spirituali & eius caussis.

5. De Spiritu sancto, à quo, propter quid & in quem finem detur.

6. De

6. De ministerio verbi, quid sit.
7. De efficacia Spiritus sancti per ministerium.
8. De pœnitentia & eius partibus.
9. De peccato in genere.
10. De iustitia mundi.
11. De iustitia Christi.
12. De principe mundi, quis & qualis sit.
13. De eius iudicio.
14. De clarificatione Christi facta per Spiritum sanctum.

CONIVNCTAE XVII.

1. Quòd regnum CHRISTI non sit de hoc mundo.
2. An Spiritus sanctus arguat mundum mediatè vel immediatè?
3. An Euangelium rectè dicatur prædicatio pœnitentiæ?
4. Quòd Spiritus sanctus per ministerium verbi verè sit efficax.
5. An concio legis sit retinenda in Ecclesiis?
6. An incredulitas omnium sit peccatorum maxima?
7. An Euangelium reijciat & damnet in vniuersum iusticiam legis, vel an bona opera sint necessaria?
8. An Princeps mundi iudicatus & victus à Christo, nullas præterea nocēdi vires habeat?

9. An morte Christi iustificemur?

10. An per Christum & Apostolos omnia ad salutarem Dei cognitionem necessaria sint proposita?

11. An Papa ex his verbis: Multa habeo vobis dicere &c. rectè asserat, se habere potestatem condendi noua dogmata in Ecclesia Christi?

12. Quòd sine ope & auxilio Spiritus sancti veritatem nemo vel intelligere vel amplecti possit.

13. Quòd Spiritus loquens à semetipso, & quidem dissona ex verbis Christi, non sit ex Deo.

14. An & quænam Spiritus sanctus per Apostolos ventura annunciarit?

15. Quòd pater, filius & Spiritus sanctus sint vnius & eiusdem diuinæ essentiæ & potentiæ, atque omnia inter se communia habeant.

16. Quòd spiritus non clarificans Christum, non sit ex Deo.

17. Quòd Christus sit verus & omnipotens Deus, cum patre omnia possidens & gubernans.

ADHORTATIONES XIII.

1. Ad salutarem meditationem passionis Christi.

2. Ad

2. Ad diligentem inquisitionem causarum mortis & ascensionis Christi.

3. Ad considerationem, quo abierit Christus & ad studium sequendi.

4. Ad debitam reuerentiam erga ministerium Euangelij, quod Christus hic officinam Spiritus sancti appellat, & vniuersaliter ad omnes homines pertinere ostendit.

5. Ad obedientiam & emendationem eorum, quæ Spiritus sanctus arguet.

6. Ad contritionem & summi peccati agnitionem.

7. Ad fidem in Christum.

8. Ad nouam obedientiam.

9. Ad fortitudinem, fiduciam & spem firmam in aduersis. Quia Princeps mundi iudicatus est.

10. Ad iustam diligentiam in omnibus ministerii partibus. Quia Spiritus sanctus adest, & efficit, ne labor noster sit inanis.

11. Ad constantiam & zelum in arguendis mundi peccatis.

12. Accommodemus nos ad captum auditorum.

13. Ad circumspectionem in probatione Spirituum, an sint ex Deo nec ne.

DETESTATIONES XII.

1. Negligentiæ humanæ, quæ hærens in præsen-

præsentibus futura & æterna neq; considerat neque expetit.
2. Tristitiæ nimiæ sub cruce.
3. Superbiæ humanæ, quæ propter suam dignitatem sibi dari Spiritum S. somniat.
4. Vanæ persuasionis, qua multi sibi nescio quam integritatem & sanctimoniam tribuunt, cùm tamen Christus hic expressè dicat, totum mundum esse pollutum peccatis.
5. Impatientiæ eorum, qui nolunt à ministris verbi admoneri, multò minus reprehendi propter peccata sua. Non enim hominibus tantum, sed Christo ipsi & Spiritui sancto repugnant.
6. Cæcitatis & securitatis eorum, qui contemptum Christi pro peccato non habent.
7. Incredulitatis in Christum.
8. Erroris Pharisaici de iustitia legali.
9. Securitatis eorum, qui horribili diaboli iudicio non mouentur.
10. Imprudentiæ eorum, qui in publico altum sapiunt, & sublimiora nimis acutè disputant, non sine periculo & offensione auditorum.
11. Præsumptionis eorum, qui vna vel altera concione audita, omnia se intelligere putant.
12. Ministri verbi non loquantur à semetipso, id est, non proponant doctrinam domi natam, & à ratione humana excogitatam, sed eam,

eam, quam à Christo, Prophetis & Apostolis audiuerunt & didicerunt.

DOMINICA VOCEMIVcunditatis, Euangelium Ioh. 16.

Amen, amen dico vobis, quacunq; &c.

QVÆSTIONES SIMPLICES XVI.

1. DE precatione dicatur, quid sit.
2. Quæ species, vel quodnam discrimen veræ & falsæ inuocationis.
3. Quæ causæ efficientes.
4. Quæ materia, vel res petendæ.
5. Quis, &
6. Quomodo sit inuocandus.
7. Quæ pugnantia, vel quæ impedimenta inuocationis, & quomodo tollenda.
8. De gaudio perfecto piorum, quodnam sit.
9. De cæcitate humana, cui sine Spiritus sancti illustratione, omnia oracula diuina obscura videntur esse prouerbia.
10. De Spiritus sancti officio.
11. De vera Dei agnitione & eius causis.
12. De amore Dei erga nos.
13. De exitu Christi à Deo, qualis sit.

14. De

14. De aduentu Christi in mundum & eius cauſſis.
15. De deſertione mundi.
16. De abitu Christi ad patrem.

CONIVNCTAE XII.

1. An in veritatis atteſtatione iuramento vti liceat?
2. An Apoſtoli ante hanc Christi obiurgationem prorſus non orauerint?
3. An Christus æquè, vt pater cœleſtis, ſit inuocandus?
4. An liceat inuocare ſanctos mortuos?
5. An præter Christum alii plures ſint quærendi interceſſores apud Deum?
6. An Deus ſemper exaudiat inuocantes?
7. An homo carnalis propriis viribus aſſequi & intelligere poſſit cœleſtia?
8. Quòd Spiritus ſanctus etiam indignis peccatoribus gratis propter Chriſtum detur.
9. An Christus hodie adhuc oret & intercedat pro nobis apud patrem?
10. An fides & dilectio Christi mereantur gratiam Dei?
11. An Christus hodie adhuc adſit ſuæ Eccleſiæ, cùm hìc dicatur: Rurſus relinquo mundum &c.
12. Quòd Christus ſit verus Deus & cordium noſtrorum ſcrutator.

AD-

ADHORTATIONES IX.

1. Ad precationem ardentem in omni calamitate.
2. Ad fidem in Christum mediatorem & intercessorem.
3. Ad patientiam in cruce, quæ hoc etiam fine nobis imponitur, vt ad preces exuscitemur.
4. Ad præparationem necessariam in omni precatione.
5. Ad circumspectionem in precatione, ne fit inane murmur, aut Idolatria Turcica, Iudaica aut Papistica.
6. Ad certam spem exauditionis. Quia Deus ipse audit & diligit nos, & filius preces nostras suo nomine acceptas patri facit.
7. Ad desiderium & implorationem auxilii diuini, sine quo sacra scriptura intelligi à nobis non potest.
8. Ad dilectionem Christi, quia pater diligit diligentes filium.
9. Ad veram Christi agnitionem.

DETESTATIONES XI.

1. Cyclopici contemptus & intermissionis precationum.
2. Ignauiæ & socordiæ in precatione, quæ partim etiam in sanctis reliqua, & reprehensione digna est.

3. Ido-

3. Idolatriæ Papiſtarum, qui non ſolum Deum, ſed ſanctos etiam mortuos inuocant.
4. Cæcitatis & ſpiritualis ſuperbiæ eorum, qui in precatione nituntur vel propria dignitate, vel interceſſione fictitiorum mediatorum.
5. Diffidentiæ & dubii in precatione. Quia Deus non ſurda aure preces noſtras præterit, ſed certò nos audit, poteſt etiam & vult iuuare omnes in nomine filii inuocantes.
6. Multiloquij & garrulitatis eorum, qui propter copiam verborum preces ſuas exaudiri putant, quantumuis etiam cordis intentio abſit.
7. Ad perſpicuitatem in propagatione doctrinæ Euangelij. Iubet enim Chriſtus Apoſtolos non prouerbia, ſed palàm annunciare de patre ſuo.
8. Vanitatis eorum, qui ſcripturam ſacram obſcuram, flexiloquam & incertam eſſe impudenter affirmant. Diuerſum enim hîc Chriſtus de doctrina Apoſtolorum affirmat, dicens: Veniet tempus, cum non per prouerbium loquar vobis.
9. Ignorantiæ & ſtoliditatis eorum qui Chriſti & aliorum ſanctorum precibus, ad ignauiam abutuntur, nec ſuas addere volunt.
10. Pernicioſæ verecundiæ eorum, qui abſterriti ſua indignitate, volunt inuocare Deũ, verè

verè & paternè nos diligentem.

11. Non indulgeamus ignorantiæ noſtræ, ſed ex ea eluctare ſtudeamus, ſicuti Apoſtolos feciſſe in fine huius Euangelii dicitur.

DOMINICA EXAVDI

Euangelium Ioh. 15. & 16.

Cum autem venerit paracletus &c.

QVÆSTIONES SIMPLICES XIII.

1. DE Spiritu ſancto, quis ſit.
2. Quis eius dator.
3. Quodnam eius officium.
4. De teſtimonio Spiritus S. quale ſit.
5. De teſtimonio verbi vocalis.
6. De ſcandalo.
7. De odio mundi aduerſus Euangelium & eius miniſtros.
8. De cauſis huius odii.
9. De excommunicatione.
10. De peccato in Spiritum ſanctum.
11. De Eccleſia duplici, vera & falſa, quarum hæc illam ſempet perſequitur.
12. De forma vel nota veræ Eccleſiæ, quæ eſt teſtimonium de Chriſto.
13. De aſtutia Diaboli, qui ſolet atrociſſimis

peccatis honestos quærere prætextus.

CONIVNCTAE VII.

1. Quòd in vna diuina essentia sint tres distinctæ personæ.
2. Quòd Spiritus sanctus sit distincta à patre & filio persona.
3. Et quidem coessentialis vtriq;.
4. Quòd Deus non respiciat vel nostram dignitatem, vel merita, quia infirmis discipulis Spiritus sanctus promittitur.
5. Quòd Christus sit verus Deus, quia dat Spiritum sanctum.
6. Quòd Spiritus sanctus per vocem Euangelii in cordibus hominum verè sit efficax.
7. Quòd Ecclesia non sit alligata ordinariæ successioni. Quia hîc dicitur: A Synagogis vos facient.

ADHORTATIONES XIII.

1. Ad reuerentiam erga ministerium verbi, quod Christus hîc officinam Spiritus sancti esse affirmat.
2. Ad amorem & studium veritatis.
3. Ad coniunctionem cum eo cætu, qui veritatem filij Dei amplectitur.
4. Ad constantem confessionem eorum, quæ de Christo ex verbo Dei didicimus.
5. Ministri Euangelij non peregrina, sed ea,

quæ

quæ ab initio in Ecclesia audita & cognita fuerunt, fideliter proponant.

6. Et auditores suos de venturis periculis tempestiuè præmoneant.

7. Porrò, quantum fieri potest, omnia scandala tollant & caueant.

8. Ad circumspectionem & timorem Dei in omnibus actionibus nostris. Solet enim diabolus peccata ita velare, vt non rarò pro cultu Dei habeantur.

9. Ad constantiam & fortitudinem in omnibus ministerij partibus.

10. Ad veram Dei agnitionem. Quia ex ignorantia Dei quæuis peccata oriuntur.

11. Ad fidelem custodiam eorum, quæ de futuris periculis nobis nunc nunciantur.

12. Verbum Dei magnificiamus. Quia nihil est, quod in aduersis æquè nos erigit & consolatur.

13. Ministri Ecclesiæ habeant rationem suorum auditorum, & ipsorum se captui accommodent.

DETESTATIONES XI.

1. Præsumptionis & cæcitatis eorum, qui pro arbitrio subinde noua dogmata fingunt. Sola enim ea doctrina est perpetua Dei veritas, quam Christus docuit & Spiritus S. per os Apostolorum vniuerso mundo proposuit.

peccatis honestos quærere prætextus.

CONIVNCTAE VII.

1. Quòd in vna diuina essentia sint tres distinctæ personæ.
2. Quòd Spiritus sanctus sit distincta à patre & filio persona.
3. Et quidem coessentialis vtriq;.
4. Quòd Deus non respiciat vel nostram dignitatem, vel merita, quia infirmis discipulis Spiritus sanctus promittitur.
5. Quòd Christus sit verus Deus, quia dat Spiritum sanctum.
6. Quòd Spiritus sanctus per vocem Euangelii in cordibus hominum verè sit efficax.
7. Quòd Ecclesia non sit alligata ordinariæ successioni. Quia hîc dicitur: A Synagogis vos facient.

ADHORTATIONES XIII.

1. Ad reuerentiam erga ministerium verbi, quod Christus hîc officinam Spiritus sancti esse affirmat.
2. Ad amorem & studium veritatis.
3. Ad coniunctionem cum eo cætu, qui veritatem filij Dei amplectitur.
4. Ad constantem confessionem eorum, quæ de Christo ex verbo Dei didicimus.
5. Ministri Euangelij non peregrina, sed ea,

quæ

quæ ab initio in Ecclesia audita & cognita fuerunt, fideliter proponant.

6. Et auditores suos de venturis periculis tempestiuè præmoneant.

7. Porrò, quantum fieri potest, omnia scandala tollant & caueant.

8. Ad circumspectionem & timorem Dei in omnibus actionibus nostris. Solet enim diabolus peccata ita velare, vt non rarò pro cultu Dei habeantur.

9. Ad constantiam & fortitudinem in omnibus ministerij partibus.

10. Ad veram Dei agnitionem. Quia ex ignorantia Dei quæuis peccata oriuntur.

11. Ad fidelem custodiam eorum, quæ de futuris periculis nobis nunc nunciantur.

12. Verbum Dei magnificiamus. Quia nihil est, quod in aduersis æquè nos erigit & consolatur.

13. Ministri Ecclesiæ habeant rationem suorum auditorum, & ipsorum se captui accommodent.

DETESTATIONES XI.

1. Præsumptionis & cæcitatis eorum, qui pro arbitrio subinde noua dogmata fingunt. Sola enim ea doctrina est perpetua Dei veritas, quam Christus docuit & Spiritus S. per os Apostolorum vniuerso mundo proposuit.

2. Negligentiæ eorum, qui diu quidem Christi vocem audiuerunt, sed nihil aut certè parum didicerunt.

3. Scandalorum, quæ ex doctrina crucis oriuntur.

4. Non abutamur titulo & potestate Ecclesiæ.

5. Non decipiamur splendidis titulis, quibus se falsa Ecclesia plerunq; ornat.

6. Non moueamur, si mundus nos odit.

7. Fulmine excommunicationis in causa iusta non terreamur.

8. Nomine diuino ad prætextum peccatorum non abutamur.

9. Contemptus Dei, qui nulla non peccata secum trahit.

10. Dum Christum habemus præsentem & docentem, non negligamus occasionem discendi.

11. Non persequamur verbum, aut verbi ministros. Vt plurimi enim hostes Euangelii in sensum reprobum prolabuntur.

IN DIE PENTECOSTES, Euangelium Ioh. 14.

Si quis diligit me, sermonem &c.

QVÆ-

QVÆSTIONES SIMPLICES XIIII.

1. DE festo Pentecostes in veteri & nouo testamento, & vtriusq; causis.
2. De indiciis veræ dilectionis Christi, vel vnde appareat Christum verè à nobis diligi.
3. De Ecclesia quid sit, nempe cætus audiens & custodiens verbum Dei.
4. De charitate Dei erga nos, vnde sit.
5. De mansione Dei apud nos, qualis sit.
6. De S. sancto, quis & vnde sit, & quodnam eius officium.
7. De suggestione Spiritus sancti, qualis sit, num mediata vel immediata.
8. De pace Christi.
9. De pace mundi, & quomodo ab illa priore differat.
10. De finibus mortis & resurrectionis Christi.
11. De gaudio piorum, quale & vnde sit.
12. De fine prædictionum diuinarum.
13. De principe mundi, quis sit.
14. De passionis Christi diuersis causis, quo ad patrem, filium & principem mundi.

CONIVNCTAE XIIII.

1. An dilectione Dei & studio verbi mereamur iustitiam & vitam æternam?
2. Quòd in vna diuina essentia plures personæ sint.

3. Quòd regnum Dei sit spirituale & intra nos.

4. An & quomodo Deus faciat mansionem in nobis?

5. An verbum Patris, non sit etiam verbum Christi?

6. An sint à Deo expectandi raptus violenti, extra ministerium verbi, cum hic dicatur: Spiritus vos omnia docebit?

7. Quòd Spiritus sanctus per verbum vocale verè sit efficax.

8. An possit homo proprijs viribus audire, discere & accipere verbum Dei.

9. An in hac vita speranda sit perpetua pax & tranquillitas Ecclesiæ?

10. An & quomodo pater sit maior filio?

11. An & quomodo diabolus sit princeps mundi?

12. Quòd Christus fuerit sanctus & sine omni peccato.

13. Quòd Christus sciens & volens sit passus.

14. Quòd Christus ex consilio & voluntate Patris sit factus pro nobis victima.

ADHORTATIONES XV.

1. Ad dilectionem Dei.

2. Ad diligentem verbi divini propagationem.

3. Ad assiduum studium & fidelem custodiã verbi.

4. Ad

4. Ad reuerentiam & timorem Dei habitantis in nobis.

5. Ad fortitudinem & patientiam in ærumnis. Quia habemus non tantum Spiritum sanctum paracletum, sed totam insuper Trinitatem nobiscum manentem.

6. A Spiritu sancto nos doceri, regi & gubernari petamus.

7. Ad piam huius festi celebrationem & debitam gratitudinem pro dono Spiritus sancti.

8. Vt amplectamur & custodiamus pacem Christi.

9. Ad salutarem meditationem mortis Christi.

10. Ad ardentem Christi dilectionem.

11. Infirmos contra pericula tempestiuè præmuniamus.

12. Certitudine prædictionum diuinarum, fidem in nobis confirmemus.

13. Exemplum Christi in facienda voluntate patris cælestis imiremur.

14. Studeamus in tota vita retinere conscientiæ integritatem, ne quid veniens mundi Princeps in nos habeat.

15. Ad firmam fiduciam contra diaboli insultus. Quia nihil habet in Christo, & in his, qui sunt Christi.

DETESTATIONES XII.

1. Contemptus verbi diuini.

2. Vanæ opinionis eorum, qui putant pósse stare contemptum verbi cum vera Dei dilectione.

3. Non diligamus plus mundum quam Christum, nec in gratiam cuiuſuis verbum Dei vel abiiciamus vel proſequamur.

4. Non deſtruamus templum Dei, quod in nobis eſt.

5. Non eligamus præ æternis temporalia. Quia illa tantum bona, quæ ex verbo Dei ad nos veniunt, perpetuò manent.

6. Non frangamur mundi minis & perſecutionibus. Quia vbicunque prædicatur ſincera vox Euangelii, ibi Deus ipſe eſt, & manſionem facit, quantumuis etiam mundus & diabolus contra fremant.

7. Non audiamus Spiritus phanaticos, qui non ea, quæ Chriſtus docuit, ſed peregrina proponunt & ſuggerunt.

8. Non exaggeremus immodicè vires humanas. Quia ſine Spiritus ſancti numine nihil eſt in homine.

9. Non tamen etiam ex homine truncum faciamus. Quia Chriſtus vult audiri & ſeruari verbum.

10. Non præponamus pacem mundi paci Chriſti.

11. Oſcitantiæ & ſtuporis eorum, qui ex conſideratione fructuum paſſionis Chriſti, nullum in corde gaudium ſentiunt.
12. Securitatis eorum, qui non credunt, diabolum eſſe fortiſſimum mundi principem.

DOMINICA TRINITATIS,

Euangelium Iohan. 3.

Erat autem homo ex Phariſæis &c.

QVÆSTIONES SIMPLICES XVIII.

1. DE Feſto & eius cauſſis.
2. De Deo, qualis ſit.
3. De finibus miraculorum.
4. De peccato Originis.
5. De pœna peccati.
6. De regeneratione.
7. De regno Dei.
8. De cæcitate humana in rebus cœleſtibus.
9. De baptiſmo, quid ſit, quæ partes & qui effectus.
10. De carne, quid ſit.
11. Quid ſit naſci ex carne.
12. De Spiritu.
13. Quid ſit naſci ex Spiritu.
14. De iuſtitia Phariſaica.

15. De iustitia fidei.
16. De serpente exaltato in deserto.
17. De fine mortis & passionis Christi.
18. De vita æterna, & causa eius efficiente.

CONIVNCTAE XXI.

1. Quòd sit vnus Deus & non plures.
2. Quòd in vna diuina essentia sint tres distinctæ personæ.
3. An etiam impii doctores, cum quibus non est Deus, miracula facere possint?
4. An ex miraculis de certitudine doctrinæ iudicari possit?
5. Quòd concio legis sit retinenda in Ecclesia, & semper præmittenda promissioni Euangelij.
6. Quòd omnes homines nati ex carne, naturaliter sint filii iræ, nec propriis meritis regnum Dei ingrediantur.
7. An promiscuè omnes homines tam paruuli, quam adulti lauacro regenerationis indigeant?
8. An sancti patres, non regenerati per baptismum, ingressi sint regnum Dei?
9. An infantes, qui sæpe hodie adhuc, antequam baptisantur, moriuntur, possint saluari?
10. An renati in baptismo per Spiritum sanctum sint perfectè spirituales, an verò hæreant adhuc in eis reliquiæ carnis & peccati?

11. Quòd Spiritus sanctus per ministerium verbi & vsum Sacramentorum verè sit efficax.

12. Quòd propriis viribus & meritis nemo ascendit in cœlum.

13. Quòd Christus fuerit verus Deus cum patre ab æterno.

14. Quòd Christus descendens de cœlo in vtero Mariæ homo factus sit.

15. Quòd Christus cum patre semper cœlum & terram impleuerit, & hunc etiam impleat.

16. Quòd beneficia Christi in multis typis veteris testamenti proposita sint.

17. Quòd per solum Christum saluemur & hæredes vitæ æternæ efficiamur.

18. Quòd Christus ex Patris consilio sciens & volens passus & mortuus sit.

19. Quòd beneficia Christi sint vniuersalia, & ad omnes homines pertineant.

20. Quòd sola fide iustificemur.

21. Quòd apud Christum non sit respectus personarum.

ADHORTATIONES XIIII.

1. Christum coram omnibus hominibus intrepidè confiteamur.

2. Quæ vera & recta sunt, etiam in hostibus approbemus, vel adhortatio ad candorem re-

ct

& è iudicantem de aliorum dictis & factis.
3. Veritatem studiosè inquiramus.
4. Potissima & principalis nostra cura sit habere veram agnitionem Dei.
5. De articulis dubiis interrogemus & audiamus alios doctiores.
6. Inter doctores Ecclesiæ sit placida sententiarum collatio.
7. Miraculis Christi fidem in nobis confirmemus.
8. Instituturi alios in fide Christiana sequamur Christi exemplum, primum ex lege cognitionem peccati doceamus, inde enim gratiæ desiderium sequetur.
9. Naturæ nostræ immundiciem agnoscamus & deploremus.
10. Baptismum magnifaciamus, & per eum paruulos nostros Ecclesiæ inseramus.
11. Inquiramus quidem cœlestia, sed ita tamen, vt in verbo Dei semper acquiescamus.
12. Infirmos in fide, si sunt dociles, suscipiamus, & Spiritu mansuetudinis tractemus.
13. Admonitiones salutares, etiamsi videantur interdum duriores, æquo animo feramus.
14. Christum esse vnicum nostrum Saluatorem, firma fide credamus.

DETESTATIONES XI.

1. Pusillanimitatis eorum, qui mundi metu Chri-

Christum palàm confiteri non audent, cum tamen confessionem eius beneuolentiæ hominum & omnibus commodis longè anteferre debeamus.

2. Non reiiciamus aut vituperemus priuato affectu omnia, etiam per se rectissima in aduersariis.

3. Abiiciamus opinionem propriæ iustitiæ. Quia Christus hîc omnes homines sub peccatum concludit.

4. In articulis fidei non sequamur cæcum rationis iudicium.

5. Opiniones longo vsu receptas non anteponamus sacræ scripturæ. Aliâs densissimis tenebris inuoluemur.

6. Non abiiciamus spem salutis propter naturæ nostræ corruptionem. Præterquam enim quod Deus instituit lauacrum regenerationis, misit etiam filium, vt omnis, qui credit in eum, vitam æternam habeat.

7. Non iudicemus aut damnemus pro nostro arbitrio facilè quosuis. Quia Spiritus, vbi vult spirat.

8. Non efferamur statim, cum vix primis labris scripturæ cognitionem degustauimus, nec ante tempus iustum munus docendi in Ecclesia expetamus, aut non vocati curramus. Nicodemus enim, qui magister in Israël erat, de præcipuis articulis turpiter adhuc hallucinabatur.

9. Non

9. Non altum ſapiamus nec immodicè etiam de nobis ſentiamus, quia terreſtria multa nondum intelligimus.

10. Non audiamus eos, qui alias extra Chriſtum in cœlos vias monſtrant.

11. Nec etiam præſumamus propria dignitate mereri vitam æternam.

DOMINICA I. POST FEſtum Trinitatis, Euangel. Luc. 16.

Homo quidam erat dives &c.

QVÆSTIONES SIMPLICES XXIII.

1. DE diuitibus impijs & pijs, quinam ſint.
2. De forma vel vanitate diuitiarum.
3. De cruce piorum, quòd ſit.
4. De pauperibus ſpiritu, quinam ſint.
5. De paupertatis cauſis & finibus.
6. De Eleemoſynis, quibus & quomodo ſint dandæ.
7. De morte piorum, quid & qualis ſit.
8. De morte impiorum, quomodo ab illa priore differat.
9. De miniſterio angelorum.
10. De ſtatu mortuorum ante reſurrectionem, qualis ſit.

11. De

11. De sinu Abrahæ, quid sit.
12. De sepultura diuitum & pauperum.
13. De vita æterna, quòd sit.
14. De felicitate piorum in vita futura.
15. De inferno, quòd sit.
16. De pœnis infernalibus.
17. De pœnitentia vera & sera.
18. De purgatorio, an sit.
19. De fallaci impiorum gaudio in hac vita.
20. De spiritibus & spectris mortuorum.
21. De dignitate ministerij verbi.
22. De authoritate sacræ scripturæ.
23. De pertinacia humana quanta sit.

CONIVNCTAE XVI.

1. An filii Dei possint sine peccato expetere & possidere diuitias?
2. An Monachi & Anabaptistæ rectè faciant damnantes propter multiplicem abusum rerum proprietatem?
3. An liceat vti vestitu precioso, cum hic exprobrentur diuiti purpura & byssus, quibus vestiebatur?
4. An homo pius bona conscientia interesse possit splendidis mundi conuiuijs?
5. An pii in hac vita semper sint habituri omnium rerum abundantiam?
6. An Lazarus vel paupertate vel patientia sua sit iustificatus?

7. An

7. An in illa vita rursus nos mutuo agnoscemus?
8. An sancti mortui sint inuocandi?
9. An vniuersale sit, quod Abraham hîc dicit recepturos bona in illa vita, qui hîc mala multa patiuntur?
10. Et econtra, an necesse sit omnes, qui feliciter hîc viuunt, postea in inferno cruciari?
11. An ex inferno sit reditus vel redemptio? (quæstio de purgatorio.)
12. An donati vita æterna possint rursus excidere gratia?
13. An reliquus sit locus pœnitentiæ in die iudicij?
14. An mortui sint interrogandi & audiendi?
15. Quòd præter & extra verbum Dei non sint expectandæ illuminationes nouæ, & raptus peculiares, sicut Enthusiastæ & quidam ex Anabaptistis somniarunt.
16. Quòd non omnes, qui secundum carnem sunt filij Abrahæ, cum ipso iustificentur.

ADHORTATIONES XV.

1. Ad pium vsum diuitiarum.
2. Ad largam Eleemosynarum erogationem.
3. Ad patientiam in cruce & paupertate.
4. Ad frugalitatem & collationem fragmentorum.

5. Ad

5. Ad moderationem in cibo, potu, & veſtitu.
6. Pauperum & afflictorum moleſtias mitigare ſtudeamus.
7. Ad fidem veram, qua ſola Lazarus iuſtificatus eſt.
8. Ad meditationem mortis, quæ neq; diuitibus neq; pauperibus parcit.
9. Vt conſcientiæ integritatem in hac vita cuſtodiamus. Non enim morietur vermis arrodens in inferno.
10. Ad ſpem vitæ futuræ, & æternæ in ea beatitudinis.
11. Ad pœnitentiam, quæ non eſt differenda in infernum vſq; Inde enim nulla erit redemptio.
12. Ad ſobriam & aſſiduam conſiderationem pœnarum infernalium.
13. Spe futuræ recreationis vincamus huius vitæ moleſtias.
14. Ad ſtudium & lectionem ſacræ ſcripturæ.
15. Fratres, liberos, & alios in pietate educemus, dum cum eis in hoc mundo viuimus. Noſtra enim pro eis ſolicitudo & interceſſio poſt hanc vitam nihil eis proderit.

DETESTATIONES XI.

1. Sumtuum inutilium & immodicorum,

qui in vestitum, epulas, canes, & similia collocantur.

2. Gulæ & intemperantiæ.

3. Luxus & inanis gloriæ, quæ in vestitu pretioso quæritur.

4. Abusus diuitiarum, qui est duplex, aut enim in excessu aut in defectu peccamus.

5. Nimiæ fiduciæ, quam diuites in opes suas ponunt, cùm tamen neq; ex morte neq; inferno liberare possint.

6. Inclementiæ erga pauperes.

7. Securitatis eorum, qui neq; diabolum neque infernum esse credunt.

8. Pœnitentiam non differamus in crastinum, quia nescimus, quid vespera ventura ferat.

9. Petulantiæ humanæ, quæ neglecto verbo signa quærit.

10. Sacrarum concionum contemptus.

11. Cæcitatis & pertinaciæ eorum, qui omnes salutares admonitiones negligunt, & nec verbo, nec signis mouentur.

DOMINICA II. POST TRINITATIS, Euangel. Luc. 14.

Homo quidam fecit cœnam magnam &c.

QVÆ-

QVÆSTIONES SIMPLICES XVI.

1. DE cœna magna, quænam sit.
2. Quæ eius causſæ.
3. Qui inuitati.
4. Ad quid, vel quo fine vocemur.
5. Qui sint serui inuitantes ad hanc cœnam.
6. De misericordia Dei.
7. De Christo, agno mactato in hac cœna.
8. De ministerio verbi.
9. De regno Dei.
10. De impedimentis nostræ salutis, quænam sint.
11. De ira Dei.
12. De Ecclesia, vnde & ex quibus colligatur.
13. De forma Ecclesiæ.
14. De Philanthropia DEI mandantis, vt compellamur ad regnum suum.
15. De forma vocationis, vel quomodo nos Deus cogi velit.
16. De pœna contemptorum verbi.

CONIVNCTAE XIII.

1. An velit Deus per verbum suum vniuersaliter omnes homines, an verò aliquos tantum ad societatem Ecclesiæ vocari, cum hic dicatur: vocatos esse multos?
2. An promissiones Dei sint vniuersales?
3. Quòd Deus per ministerium verbi velit

esse efficax, & quos elegit, eosdem etiam vocare.

4. An omnia ad salutem æternam necessaria per Christum parata sint, an verò de nostro nos aliquid addere oporteat?

5. An causa contemptus cœnæ, in resipsis, quæ hîc nominantur, an verò in personas transferenda sit?

6. An liceat tenere proprium?

7. An liceat negotiari?

8. An vxorem ducere liceat, cum dicatur hic, tertium ideò non potuisse venire, quòd vxorem duxerit?

9. An soli Iudæi, an verò etiam aliæ gentes ad regnum Dei pertineant?

10. Quòd in Ecclesia non omnes pariter sint firmi, sed multi adhuc admixti debiles, claudi & cæci.

11. Quòd in Ecclesia omni tempore sit futurus locus reliquus, nec omnes audituri vocem Euangelij.

12. An Deus etiam nolentes & finaliter repugnantes trahat & compellat?

13. An concessum sit ministris Euangelij vi corporali compellere auditores ad studium verbi?

ADHORTATIONES XIII.

1. Ad agnitionem Christi & beneficiorum eius.

2. Ad gratitudinem pro immensa Dei misericordia.

3. Ad assiduitatem & fidelitatem in vocandis inuitatis.

4. Ad obedientiam erga ministros verbi & omnes, qui ad regnum Dei nos vocant.

5. Faciamus officia politica & œconomica diligenter, sedita tamen, ne regnum Dei negligatur.

6. Ad pium moderatum & licitum vsum bonorum corporalium.

7. Ad studium & amorem verbi diuini. Quia neglecta hac cœna perpetuò postea esuriendum erit.

8. Ministri attendant in gregem suum diligenter, & si qui sunt ingrati, Deo id conquerantur.

9. Vocemus & in gremium Ecclesiæ recipiamus etiam cæcos, claudos & omnes peccatores pœnitentes.

10. Facturi cœnam imitemur Dei exemplum, & inuitemus pauperes, à quibus paria sperare non possumus.

11. Legis concionem exasperemus, vt multi ad pœnitentiam veram compellantur.

12. Magistratus tollat impedimenta verbi, & suo loco & modo compellat subditos ad sanctificationem Sabbati.

13. Sicut Deus, priusquam contemptoribus

pœnam nunciat, alios vocare iubet. Ita Ecclesiæ ministri contemptum moderatè ferant, nec propterea, quòd multi sunt ingrati, munus suum negligant aut omittant.

DETESTATIONES XII.

1. Impiæ præsumptionis papistarum, qui fastidientes cœnam à Christo perfectè nobis paratam, aliam quærunt & faciunt.
2. Ingratitudinis vsitatissimæ in mundo. Nam pauciſſimi, vocantes ad cœnam hanc audiunt, plerique verò eos rident & negligunt.
3. Cæcitatis humanæ, quæ præ æternis temporalia & caduca bona quærit & eligit.
4. Auaritiæ.
5. Solicitudinis immodicæ & impiæ.
6. Voluptatum carnalium retrahentium nos à studio pietatis.
7. Astutiæ & peruersitatis eorum, qui honestos peccatis suis prætextus quærunt, & ruentes in manifestissima scelera, nihilominus excusati esse volunt.
8. Infidelitatis eorum ministrorum, qui parum afficiuntur & curant, an vocati veniant nec ne.
9. Non despiciamus miseros, cæcos & claudos, quia hos etiam Deus ad regnum suum vult vocari.

10. Non

10. Non graue sit ministris fieri omnibus omnia, & quærere oues perditas.
11. Non vtantur ministri gladio, nec vi corporali auditores cogant. Aliud enim longè est compellere illud, de quo Christus loquitur.
12. Non extenuemus, nec pro leui peccato habeamus contemptum verbi. Tristissima enim pœna est, quam Christus hic minatur dicens: Nemo virorum illorum, qui vocati sunt, gustabit cœnam meam.

DOMINICA III. TRINITATIS, Euangelium Luc. 15.

Erant autem appropinquantes &c.

QVÆSTIONES SIMPLICES XV.

1. DE pœnitentia.
2. De hypocrisi Pharisæorum.
3. De discrimine Legis & Euangelij.
4. De iustitia Pharisæorum.
5. De iustitia Christi.
6. De discrimine scandali accepti & dati.
7. De miseria generis humani significata in oue perdita.
8. De misericordia Dei erga nos.
9. De officio Christi pastoris, quærentis quem perditam,

10. De officio fidelium miniſtrorum Eccleſiæ.
11. De peccatoribus pœnitentibus & impœnitentibus.
12. De gaudio angelorum & totius cœleſtis chori ſuper peccatore reſipiſcente.
13. De iuſtis non indigentibus pœnitentia, quinam ſint.
14. De Eccleſia quærente drachmam perditam.
15. De lucerna accenſa, quænam ſit.

CONIVNCTAE XI.

1. An Chriſtus cibum capiens cum peccatoribus rectè fecerit?
2. An Deus omnes homines, etiam indignos peccatores ſaluos fieri velit?
3. An & quatenus conceſſum ſit miniſtris Eccleſiæ conuerſari cum peccatoribus?
4. An promiſcuè omnes homines ad ſacras conciones, & vſum ſacramentorum admittendi ſint?
5. An ſine diſcrimine ſuper omni peccatore Deo gaudium ſit?
6. An Chriſtus hic iuſtitiam legis damnet & reijciat?
7. An ſint inter nos perfectè iuſti non indigentes pœnitentia?
8. An coram Deo gratis iuſtificemur?

9. An

9. An pœnitentia mereatur salutem æternam?
10. An & quomodo propter ouem perditam sint reliquæ dimittendæ in deserto?
11. An homo in conuersione sese non aliter quam drachma perdita habeat?

ADHORTATIONES XII.

1. Ad studium verbi, quod in appropinquantibus ad Christum hîc commendatur.
2. Peccatores anxiè quærant Christum, medicum animarum suarum.
3. Ministri Ecclesiæ magno studio & labore quærant oues perditas.
4. Et inuentas cum gaudio ad Ecclesiam reducant.
5. Et nonnunquam etiam concione legis vertant domum, si alia ratione ouem perditam reducere nequeant.
6. Sicut Christus hoc loco Pharisæos non sine salutari doctrina demittit, ita nos etiam aduersarios nostros in viam reducere studeamus.
7. Doctores Ecclesiæ vtantur genere sermonis vulgari, & doctrinam quam proponunt, subinde parabolis declarent.
8. Cùm tanto studio & labore homines res temporales & caducas quærant, multò maiore diligentia nos æterna quærere debebam?

9. Vocati à Christo per verbum ad pœnitentiam audiamus & obsequamur, vt de nobis etiam chorus cœlestis gaudeat.

10. Gaudeamus nos quoque, si quem pœnitentiam agere videmus, & verè doleamus, si qui salutares admonitiones negligunt, & in peccatis suis perseuerant.

11. Singuli etiam Patresfamilias, si quas habent inter suos oues perditas, diligenter eas quærant.

12. Christo pastori nostro, qui ad ouile nos reduxit, debitam gratitudinem & obedientiam præstemus.

DETESTATIONES XI.

1. Agnoscentes peccata nostra non fugiamus salutares reprehensiones.

2. Non inuideamus miseris peccatoribus gratiam Dei.

3. Non murmuremus, multò minus verò calumniemur vocem Euangelij ideo, quòd etiam indignis peccatoribus gratiã annunciat.

4. Non damnemus alios, neque etiam lætemur, si quos errare videmus.

5. Non flagremus studio cauillandi, nec malitiosè peruertamus ea, quæ per se rectè dicta & facta sunt.

6. Persuasionem propriæ iustitiæ abijciamus.

7. Non immiſceamus nos conſortio eorum, de quibus nulla veræ emendationis ſpes eſt.
8. Scandala & omnem ſpeciem mali fugiamus.
9. Non negligamus vocem paſtoris, vocantis nos ad pœnitentiam.
10. Non quæramus temporalia tantùm, neglectis interea æternis bonis, ſicut multi maiore cura drachmam perditam, quam ſuam & ſuorum ſalutem quærunt.
11. Non abutamur conſolatione, quam Chriſtus hic miſeris peccatoribus proponit; ſolis enim pœnitentibus promittitur gratia.

DOMINICA IIII. TRINITATIS, Euangelium Luc. 6.

Eſtote ergo miſericordes &c.

QVÆSTIONES SIMPLICES X.

1. DE bonis operibus, quæ ſint.
2. An neceſſaria.
3. Quæ cauſſæ.
4. Quæ præmia.
5. Qui fines & cur facienda.
6. De miſericordia Dei erga nos.

7. De

7. De discrimine iudiciorum, licitorum & illicitorum.
8. De Eleemosynis, quid sint, & quales dandæ.
9. De immundicie & cæcitate, innata omnibus hominibus.
10. De imperfecta Phariſæorum iuſtitia.

CONIVNCTAE XI.

1. Quòd Deus ſecundum magnam miſericordiam ſuam nos miſeros peccatores iuſtificet.
2. An magiſtratus ſit ordinatio Dei?
3. An Chriſtianus bona conſcientia poſſit adminiſtrare politica iudicia?
4. An promiſcuè hîc omnia iudicia prohibeantur?
5. An conceſſum ſit Chriſtianis, vocare in ius aduerſarios ſuos?
6. An rectè faciant miniſtri Eccleſiæ, iudicantes & damnantes verbo Dei contumaces?
7. An bona opera mereantur vitam æternam, vel, an Deus ideo nobis remittat peccata, quòd proximo etiam remittimus?
8. An præmia bonorum operum dentur ex gratia, an verò ex debito?
9. Quòd Deus in puniendis delictis plerunque vtatur talione, & puniat per id, per quod quis peccauit.

10. Quòd

10. Quòd omnes homines natura sint cæci, & polluti multis peccatis.

11. An homo homini viam salutis monstrare possit, cum hic omnes cæci esse perhibeamur?

ADHORTATIONES XIII.

1. Ad agnitionem misericordiæ Dei.

2. Ad studium bonorum operum in genere.

3. Ad misericordiam & dilectionem proximi, etiam malè de nobis meriti.

4. Ad mutuam condonationem delictorum.

5. Ad largam Eleemosynarum distributionem.

6. Ad iustitiam in contractibus, mensura & pondere.

7. Ad mansuetudinem & tolerantiam in ferendis iniuriis, quia seruus non est maior Domino suo.

8. Ad candorem in iudicandis aliorum dictis & factis.

9. Qui alios docere volunt, ipsi prius genus doctrinæ rectè intelligant, ne cæcus cæcum ducat.

10. Ministri Ecclesiæ videant, quo genere doctrinæ vtantur, ne sese & auditores densissimis tenebris inuoluant.

11. Præluceant etiam aliis vitæ sanctimonia, & exemplo bono, ne morum prauitate se &

alios in foueam præcipitent.
12. Iustus primùm sit accusator sui, & non aliorum.
13. Errantem amicè & fraternè moneamus.

DETESTATIONES IX.

1. Inuidentiæ, liuoris & odij, quo Pharisæi miseros peccatores, & omnes alias gentes prosequebantur.
2. Iudiciorum illicitorum, vt sunt calumniæ, obtrectationes, mendacia, malitiosæ deprauationes rectè dictorum & factorum, Item, conuitia & similia.
3. Condemnationum iniquarum & prohibitarum.
4. Philautiæ, quæ de se immodicè sentit, & seipsum admiratur, alios verò premit, & nullis non conuitijs proscindit.
5. Non simus tenaces iræ aut vindictæ cupidi.
6. Iniustitiæ, doli, & fraudis in extrudendis mercibus.
7. Hypocriseos eorum, qui nescio quam sibi integritatem somniant, cùm tamen reuera sint miseri peccatores.
8. Temeritatis eorum, qui munus docendi sibi sumunt, cùm tamen rudes adhuc discipuli sint.
9. Non extenuemus nostra peccata, nec alio-

rum

rum nævos immodicè exaggeremus, multò minus in cibo, potu aut similibus proximum iudicemus.

DOMINICA V. TRINITATIS, Euangelium Luc. 5.

Facta est autem, cum turba &c.

QVÆSTIONES SIMPLICES XIIII.

1. DE ministerio & sedulitate Christi.
2. De humanitate & humilitate Christi, qui rogat eum, cui iure imperare poterat.
3. De periculoso statu ministrorum Ecclesiæ. Verè enim in naui sedent, & in alto nauigant, qui mundo huic inseruiunt.
4. De labore duplici, vtili & inutili.
5. De obiecto fidei, quod est verbum Christi.
6. De miraculis.
7. De diuinæ benedictionis caussis & effectibus.
8. De corruptione & prauitate cordis humani, quod conspectu vel iræ, vel misericordiæ Dei, fugere & expauescere incipit. Vt enim consideratione iræ metuit pœnas, sic misericordia se indignum iudicat.
9. De stupore Petri & eius caussa.

10. De

10. De effectibus peccati.
11. De vera contritione.
12. De fine ministerii Euangelii.
13. De efficacia eiusdem, vnde sit.
14. De diuersitate auditorum Euangelij, quæ in diuersis piscium naturis depingitur.

CONIVNCTAE IX.

1. Quòd liceat tenere proprium.
2. Quòd magistratus subditorum bona non vi occupare aut repetere debeat, quia nec Christus Petro nauim vi eripuit.
3. An solus labor sufficiat ad quærendum panem quotidianum?
4. An opus sit in labore vocationis nostræ aliqua diligentia, circumspectione, & prudentia, cùm in piscatione Petri hæc omnia irrita fuerint, & solum Christi verbum rete impleuerit?
5. Quòd contritio sine fide non sit salutaris, nec faciat, quod rectum est coram Deo.
6. Quòd prædicatio Euangelij non reddat homines securos. Quò enim maiorem sibi gratiam contigisse Petrus videt, eò magis indignitatem suam agnoscit & deplorat.
7. An Petrus iubens exire à se Christum, recte fecerit, & an perpetuò de gratia Dei dubitandum sit, sicut Papistæ docent?
8. An opus sit studio literarum, cùm Christus

ſtus ex indoctis piſcatoribus Apoſtolos fecerit.

9. An ſecuturis Chriſtum neceſſe ſit omnes ſuas facultates & familias deſerere, cùm hîc dicatur, apoſtolos omnia reliquiſſe?

ADHORTATIONES XVIII.

1. Ad ardorem & ſtudium audiendi verbum Dei.

2. Omnia noſtra bona Chriſto petenti commodemus, quia Petrus hic pro naui ſua magnum accepit præmium.

3. Docturi populum ſedeant, id eſt, ſint certi de genere doctrinæ, quod profitentur.

4. Singuli labores ſuæ vocationis ſedulò, accuratè & diligenter faciant.

5. Ad fidelitatem & aſſiduitatem in propagatione verbi diuini, quia Chriſtus nullam occaſionem neglexit, ſed tam in mari quam terra docuit.

6. Patresfamilias, item præceptores & alij etiam, in ſua naui cum ſuis conferant de regno Dei, & ſic benedicetur laboribus eorum.

7. Imitemur Chriſti exemplum, & prius animam quàm corpus paſcamus.

8. Ad fidem ſimplicem & obedientiam. Quia Petrus obſequitur verbis Chriſti, & in alto contra rationem rete laxat, etiamſi antea per totam noctem nihil cœperit.

9. Facturi fructum aliquem, simul oremus & laboremus, quia sine benedictione diuina vanum est ante lucem surgere.

10. Quæramus primum regnum Dei, & cætera omnia adijcientur nobis.

11. Laxemus retia nostra in verbo Christi, hoc est, Labor noster sit honestus & licitus, habens mandatum & promissionem Dei.

12. In defectu panis quotidiani conijciamus curam nostram in Christum. Vno enim verbo replere retia nostra, & omne animal benedictione implere potest.

13. De donis Dei etiam aliis distribuamus.

14. Sit inter vicinos pia animorum coniunctio, & laborum & commodorum etiam communicatio. Dum enim hic mutuas dant operas vtramq; nauiculam implent.

15. Agnoscamus nos esse indignos donis Dei, & prouoluti ad genua eius, eò ardentius gratias agamus.

16. Consternatas & turbatas conscientias erigamus.

17. Tanto Christi amore ardeamus, vt, vbi necesse est, propter ipsum relinquamus non tantùm bona nostra, sed etiam patrem matrem, coniugem, liberos & vitam denique ipsam. Nulla verò hac necessitate exigente vtamur his donis in timore Dei, nec temerè ea vel abijciamus aut deseramus.

18. Ministri Ecclesiæ discant ex hac Parabola de captura piscium, omnem suum laborem fore inanem, nisi Christus rete impleat. Petant ergo se regi & iuuari à Spiritu sancto, vt labores fiant Deo grati & hominibus salutares.

DETESTATIONES X.

1. Contemptus verbi & sacrarum concionum. Non enim nunc, vt Christi tempore, irruunt auditores ad audiendum verbum Dei.

2. Sub prætextu Euangelij non inuadamus aliorum bona.

3. Non fidamus nimium vel nostro labori, vel sapientiæ nostræ. Omnes enim conatus, Deo non benedicente, irriti sunt.

4. Non temporis difficultas, non laborum molestia, non fructus exigui, neq; etiam mora auxilii diuini, absterreant nos ab officiis vocationis nostræ.

5. Non denegemus opem nostram hærentibus in aliquo periculo.

6. Non efferamur, si quando opes affluunt, nec etiam abijciamus animum, si quando iisdem rursus exuimur. Potest enim Christus vtrunq;, & implere & rumpere rete. Oremus ergo, vt det & conseruet panem quotidianum.

7. Fugiamus peccata summo studio. Iis

enim excitatis nihil ex temporalibus solatio nobis esse potest, & omnia sub manibus gaudia euanescunt.

8. Peccatis nos turbantibus non repellamus à nobis Christum, sed rogemus eum vt maneat nobiscum & peccata nostra tegat.

9. Conscientias anxias importunis clamoribus non magis turbemus.

10. Non abijciant doctores Ecclesiæ munus suum si fructum non semper respondere labori animaduertunt. Etsi enim non omnes audiunt, tamen aliqui capientur iuxta verbum Christi: Ex hoc homines capies.

DOMINICA VI. TRINITATIS, Euangelium Matth. 5.

Nisi abundauerit iustitia &c.

QVÆSTIONES SIMPLICES XVI.

1. DE iustitia Pharisaica.
2. De iustitia Christi.
3. De regno cœlorum.
4. De via vera & vnica ad regnum cœlorum.
5. De lege & vsu eius.
6. De obedientia legi debita, & bonis operibus.
7. De iustitia legis.

8. De

8. De peccatis internis & externis.
9. De pœnis peccatorum & earum gradibus.
10. De quinto præcepto & vero eius sensu.
11. De homicidio, quotuplex sit.
12. De ira duplici, licita & illicita.
13. De iudicio.
14. De concilio.
15. De sacrificiis & muneribus veteris testamenti.
16. De cultu Dei duplici, acceptabili & abominabili.

CONIVNCTAE XIX.

1. An lex Dei tantùm externam obedientiam requirat, sicut Pharisæi opinabantur?
2. An possit vllus homo præstare perfectam legi obedientiam?
3. An operibus legis iustificemur?
4. An & quomodo iustitia nostra abundet plus quam Scribarum & Pharisæorum?
5. An lex sit retinenda in Ecclesia?
6. An ea, quæ Christus hic de 5. præcepto dicit, sint tantùm consilia pro perfectoribus, sicut Papistæ somniant, an verò sint mandata Dei obligantia omnes homines ad obedientiam?
7. An in vniuersum omnis omnium hominum ira hîc damnetur & prohibeatur?

8. An magistratus occidens sceleratos gladio, rectè faciat?

9. De quibus conuitiis intelligenda sint Christi verba: Qui dixerit fatue, reus erit gehennæ incendio.

10. Quòd politica iudicia & concilia sint ordinationes Dei.

11. Quòd etiam interna peccata, vt sunt concupiscentiæ carnis, & omnes inordinati cordis motus, pugnent cum lege Dei, & mereantur præsentes & æternas pœnas.

12. An rectè faciant, qui propter mutuas offensiones & inimicitias, ab vsu cœnæ dominicæ abstinent?

13. Quòd ad verum Dei cultum non sufficiat externa simulatio pietatis eorum, qui labiis appropinquant corde autem à Deo longè sunt. Abominabiles enim sunt Deo cultus eorum, qui in peccatis contra conscientiam perseuerant.

14. An, quomodo, & cur placeant Deo nostra bona opera?

15. Vtranam pars obligetur ad deprecationem offensa an offendens?

16. Quomodo aduersarius noster nos tradere possit iudici.

17. An debitum nostrum Deo soluere possimus?

18. Quòd Deus tandem sit iudicaturus vniuersum

uersum mundum, & coniecturus impios in ignem æternum.

19. An sit purgatorium & redemptio ex inferno, vt Papistæ nugati sunt?

ADHORTATIONES XII.

1. Ad studium bonorum operum internorum & externorum. Debet enim hac etiam ratione iustitia nostra abundare plus quam Phariſæorum, qui se tantùm externam legi obedientiam debere putabant.

2. Ad veram humilitatem, quæ reliquas suas sordes agnoscit, & veniam à Deo petit.

3. Ad agnitionem veræ iustitiæ coram Deo.

4. Ad fidem in Christum, qua sola iustificamur.

5. Ad obseruationem legis.

6. Ad studium pacis & concordiæ.

7. Ad mutuam reconciliationem & condonationem delictorum.

8. Conscii nobis alicuius offensæ aut iniuriæ, quam proximo fecimus, non grauemur fateri & deprecari culpam.

9. Rogati simus etiam faciles & consentientes aduersariis nostris.

10. Opera charitatis præferamus sacrificiis.

11. Cultum externum in Ecclesia singuli suo loco iuuare & conseruare studeant.

12. Sit autem verus noster Dei cultus, ratio-

nabile obsequium, & exhibeamus corpora nostra hostiam viuentem, sanctam & placentem Deo, sicut hortatur Paulus cap. 12. ad Romanos.

DETESTATIONES XV.

1. Superbiæ Pharisaicæ ponentis fiduciam non in Dei misericordiam & Christi meritum, sed in propriam iustitiam, quam perfectam legis impletionem esse putabant, cum tamen reuera coram Deo adhuc imperfecta & sordida esset.

2. Securitatis, quæ oritur ex peruerso huius Euangelij intellectu. Non enim Christus hic opera à Deo mandata per se, sed vanam in opera fiduciam & impiam Pharisæorũ præsumptionem taxat & reiicit. Sicut nec hodiè Euangelium bona opera prohibet, sed seuerissimè à nobis exigit, & vult vt conemur præstare legi obedientiam, attamen sine opinione meriti & iustitiæ propriæ.

3. Non indulgeamus carnis concupiscentiis, nec vt vulgi est opinio, immunes eas esse à pœnis iudicemus. Christus enim hîc etiam internis cordis moribus & prauis affectibus grauissimas pœnas minatur.

4. Abstineamus ab homicidio interno & externo.

5. Iram, quæ coram Deo rectum non facit, fugiamus.

6. Pro-

6. Proximo non imprecemur mala.
7. Nec etiam conuiciis famam eius lædamus.
8. A gestibus etiam inhumanioribus abstineamus.
9. Non differamus reconciliationem cum proximo. Odium enim tegendo alitur, & tandem prorsus implacabile redditur. Non ergo occidat sol superiracundia nostra Eph. 4.
10. Non intermittamus cultum diuinum, precationem & Sacramentorum vsum, vt odiis indulgeamus. Sed potius ideo restinguamus & tollamus odia, vt hæc omnia minus impediantur. Non etiam externum cultum operibus misericordiæ anteferamus.
11. Non quæramus vindictam priuatam, sed omne iudicium committamus ei, qui rectè iudicat.
12. Non exaggeremus immodicè aliorum in nos delicta. Sed propter Dei mandatum & conscientiam plurima patienter feramus.
13. Sumus in via mortis omnes, & metam properamus ad vnam. Non ergo differamus pœnitentiam in crastinum.
14. Non simus securi in peccatis nostris. Præterquam enim quòd Deus omnia videt, adferuntur etiam quotidiè querelæ de impœnitentibus.
15. Non extenuemus, multò minus rideamus

mus pœnas infernales. Sunt enim graniores, quam cogitare aut dicere possumus.

DOMINICA VII. TRINITATIS, Euangelium Marc. 8.

In diebus illis cum turba admodum, &c.

QVÆSTIONES SIMPLICES XIII.

1. DE cruce piorum.
2. De penuria & veris eius caussis.
3. De φιλανθρωπία & solicitudine Christi pro nobis.
4. De cæcitate & ignorantia humana, quæ in aduersis neq; consilium neq; auxilium inuenire potest.
5. De infirmitate Apostolorum.
6. De solicitudine duplici, licita & illicita.
7. De pane quotidiano, vnde sit, & quomodo impetretur.
8. De vsu panis quotidiani.
9. De modico iusti.
10. De diuitijs iniustorum.
11. De omnipotentia Christi.
12. De benedictione diuina.
13. De miraculi huius caussis impulsiuis, materiali ex qua, & finibus, hoc est, cur, vnde, & ad

& ad quid Christus miraculum hoc fecerit.

CONIVNCTAE X.

1. An pij & studiosi verbi diuini, nonnunquam etiam passuri sint penuriam, & defectum panis quotidiani?
2. An Euangelium sit caussa penuriæ & paupertatis.
3. An liceat esse solicitum de cibo & potu?
4. Quòd Christus pro veritate humanæ suæ naturæ habuerit eriam suos, sed tamen non inordinatos motus & affectus.
5. An non potuerit Christus etiam sine pane sustentare suos auditores, & cauere ne deficerent in via?
6. An Christus quærens, quot panes discipuli habeant, ex necessitate, vel alia causa id fecerit?
7. Quòd etiam in sanctis reliqua adhuc sit multiplex infirmitas & ignorantia.
8. Cur Christus pro panibus egerit gratias, cum tamen sit Dominus creaturarum.
9. Quòd Christus sit verus & omnipotens Deus, & pro suo arbitrio creaturas augere & minuere possit.
10. Quòd Ecclesia omni tempore habeat suas tentationes, & ex his omnibus tandem liberetur à Domino.

AD-

ADHORTATIONES XX.

1. Regnum Dei quæramus primùm, & cætera omnia adijcientur nobis.

2. Exemplo huius turbæ etiam de longè veniamus, & verbum Dei audiamus.

3. Curam de victu & amictu conijciamus in Dominum. Verè enim ipsi curæ sumus.

4. In aduersis simus patientes, & hac nos spe erigamus, quòd Christus non sine singulari motu cordis & viscerum suorum, calamitates nostras intuetur, dies & horas numerat, nostram infirmitatem & secutura inde pericula probe nouit & considerat.

5. Qui volunt Christum sequi, assuefaciant se ad ferendum inter alia aduersa etiam nonnunquam paupertatis onus.

6. Imitemur Christi exemplum, & proximi calamitate afficiamur.

7. Audiamus clamorem pauperis, & panem esurienti frangamus.

8. Ecclesiæ ministri moniti hoc Christi exemplo pascant quidem primùm animam turbæ, sed interim tamen etiam pauperum fidelem curam agant.

9. Doctores Ecclesiæ sæpius cum auditoribus suis conferant, & hoc exercitio occasionem eis præbeant, vt agnoscentes suam rusticitatem postea eò diligentius attendant.

10. Mo-

10. Modicum iusti anteferamus multis magnis impiorum thesauris.

11. Omni creatura Dei cum gratiarum actione vtamur.

12. Patresfamilias assuefaciant suos domesticos ad preces ante & post mensam.

13. Cibo & potu vtamur ad refectionem corporis, & satietatem, non ad delitias vel voluptates.

14. Benedictionem à Deo petamus. Ea sola enim diuites facit, & panem quotidianum salutarem reddit.

15. Apparatus in cibo & potu sit modicus, quia Christus hic suis conuiuis præter panem & pisciculos nihil apponit.

16. Si quid abundat reseruemus quidem id, & colligamus fragmenta, ita tamen, ne esurientes negligantur.

17. Ministri Ecclesiæ fideliter proponant cibum animæ à Christo acceptum. Quod si fit, sub manibus, vt hic, panes crescent.

18. Auditores verò sint contenti pane quotidiano, nec affectent noua dogmata.

19. Fragmenta & salutares nostrorum præceptorum labores studiosè conseruemus, & ad posteros etiam propagemus.

20. Sit etiam modus & finis concionum. Recto enim tempore Christus auditores suos dimisit.

DE-

DETESTATIONES XVI.

1. Secuturi Christum non polliceamur nobis perpetuam felicitatem & rerum abundantiam.

2. Non negligamus, multò minus rideamus conflictantes cum aduersis.

3. Non murmuremus si vno vel altero die propter Christum penuria ferenda est. Neq; etiam indignemur, si quando Christus opem suam differt. Solet enim plerunque tunc demum iuuare, cum omnia humana præsidia cessarunt.

4. Non sit nobis graue accedere conciones sacras, quas præ foribus habemus, cum hæc turba de longè ad Dominum venerit.

5. Non tantùm computemus, quibus opus sit, sed potius credamus & cogitemus posse Christum dare quantùm vult.

6. Modico, quod dat Dominus, simus contenti, hac freti spe, quod non rerum abundantia sed Domini benedictio nos sustentat.

7. Non quæramus victum fraude & dolis. Verè enim panis iste est panis doloris, qui neque saturat neque lætificat cor hominis.

8. Non opinemur casu nobis obijci bona corporalia. Omnia enim à Deo dantur, vt dicitur: Ipso dante colligimus.

9. Non simus soliciti de victu & amictu, multò minus propter temporum difficultatem

tem vocationem noſtram deſeramus.

10. Non innitamur tantùm humanis præſidiis. Poteſt enim Chriſtus ſuos tàm in deſerto quàm in terra fluente lacte & melle ſuſtentare.

11. Rerum abundantiam non putemus nos vel conſiliis vel laboribus noſtris acquirere poſſe.

12. Rationis argumenta non impediant in nobis fidem, ſed verbo Dei ſimpliciter credamus, vt hîc diſcipuli ſine contradictione iuſſa Domini exequuntur.

13. Media à Deo conceſſa, quantumuis exigua, non negligamus. Tentat enim Deum, qui mediis licitis, dum poteſt, non vtitur.

14. Non accedamus ad menſam ſine precibus & deuotione, vt ſus ad lintrem.

15. Seculi huius ingluuiem & prodigalitatem execremur & fugiamus, ita tamen ne os boui trituranti obligemus.

16. Non ponamus fiduciam in opibus huius mundi. Poteſt enim Chriſtus & dare & rurſus auferre bona.

DOMINICA VIII. TRINITATIS, Euangelium Matth. 7.

Cauete vobis à Pſeudoprophetis &c.

QVÆSTIONES SIMPLICES XXI.

1. De

1. DE Ecclesia qualis sit, seu de forma Ecclesiæ.
2. De fidelibus Ecclesiæ ministris.
3. De Pseudoprophetis, quòd sint futuri.
4. De signis monstrantibus Pseudoprophetas.
5. De incommodis prauarum opinionum ex similibus, de lupo, spinis, & tribulis.
6. De efficacia verbi & fructibus bonis sacræ doctrinæ, ex simili de vuis & ficubus.
7. De vera pœnitentia.
8. De fructibus pœnitentiæ.
9. De præmiis bonorum operum.
10. De pœnis Pseudoprophetarum, & tristi fine vel interitu falsorum dogmatum.
11. De caussis peccatorum & malorum operum etiam in iis locis, vbi sana doctrina docetur.
12. De vera iustitia coram Deo.
13. De hypocrisi.
14. De iustitia hypocritarum.
15. De voluntate Dei reuelata in lege & Euangelio.
16. De facientibus hanc voluntatem, quinam sunt.
17. De veris miraculis.
18. De miraculis pseudoprophetarum & eorum caussis.
19. De eiectione dæmoniorum duplici, vera & ficta.

20. De prophetia duplici.
21. De regno Dei.

CONIVNCTAE XX.

1. Quòd in Ecclesia omnibus temporibus fuerit & mansura sit magna opinionum diuersitas.
2. An iudicium de Pseudoprophetis sit vniuersale, & etiam ad auditores pertineat?
3. An singuli debeant sibi semper, quando & vbi volunt, iudicium de doctrina sumere?
4. An liceat discedere & dissentire ab iis, qui habent in Ecclesia ordinariam successionem & potestatem?
5. An fructus, de quibus hic dicitur, sint externa docentium conuersatio, vel mores externi, an vero doctrina ipsa?
6. An controuersiæ in Ecclesia ex verbo Dei, an verò ex decretis humanis, & Papæ constitutionibus dijudicari debeant?
7. An habeat Papa potestatem condendi noua dogmata in Ecclesia, & an eiusdem sint auctoritatis cum verbo Dei?
8. An liceat dispensare cum falsis doctoribus, & conciliationes quasuis quærere & constituere?
9. An conuersi ad Deum rursus labi possint, cum hìc dicatur: arbor bona non fert fructus malos?

10. An in Ecclesia vera & illis locis, vbi sonat pura Euangelij doctrina, etiam sint permixti bonis mali?

11. An lapsi possint veram agere pœnitentiam, & redire in gratiam, cùm Christus dicat: Arbor mala non potest bonos fructus facere?

12. Quòd bona opera sint necessaria.

13. An bona opera mereantur regnum Dei & vitam æternam?

14. An efficacia ministerii pendeat ex ministrorum dignitate, hoc est, an verbum & Sacramenta tunc sint efficacia, cum ministri mores sint vitiosi?

15. An hypocritæ possint Christum appellare Dominum, cum 1. Cor. 12. Paulus dicat: Nemo potest dicere, Dominus Iesus, nisi in Spiritu sancto?

16. An Pseudoprophetæ possint facere vera miracula & prophetarum?

17. An fide iustificemur, cùm hic dicatur, eos tantum ingressuros regnum cœlorum, qui voluntatem patris cœlestis faciunt.

18. An vllus homo possit voluntatem Dei perfectè facere?

19. An vera sit dæmoniorum eiectio, quæ fit per exorcistas?

20. Quòd apud Christum non sit respectus personarum, qui enim operantur iniquitatem,

tem, audient in illo die: Non noui vos: siue Iudæi siue gentes fuerint.

ADHORTATIONES XI.

1. Ministri Ecclesiæ proponant sanam doctrinam, & præterea diligenter attendant in gregem suum, ne lupi rapaces eum dissipent ac perdant.

2. Auditores verò fideles ministros duplici honore dignos æstiment. Suaues enim & salutares sunt fructus eorum.

3. Amplectantur etiam doctrinam puram & se in ea conseruari petant.

4. Porrò firmum fidei fundamentum ponant, & summam doctrinæ animo suo probè concipiant, ne quouis vento circumferantur, sed vt lupos rapaces agnoscere, & omni tempore contradicentibus os obturare possint.

5. Deniq; obseruent etiam genus doctrinæ, quod alij proponunt, & cum sacra scriptura conferant, hoc est, omnia probent & quod bonum est, retineant.

6. Studeant simul doctores & auditores verbi ferre fructus bonos, in doctrina & conuersatione.

7. Stantes orent & videant ne rursus labantur. Potest enim arbor bona per se degenerare & variis insuper modis corrumpi.

8. Lapsi redeant ad Deum, & magna fiducia

veniam petant. Potest enim hodiè adhuc ex Saulo Paulus fieri, id est, Ex persecutore doctor Ecclesiæ.

9. Seueritatem iudicii futuri, & pœnas æternas, in omnibus actionibus nostris ob oculos ponamus, sæpe cogitemus & etiam metuamus.

10. In cultu diuino simus sinceri & integri, appropinquantes Domino simul corde, ore, & opere.

11. Voluntatem diuinam agnoscamus & faciamus.

DETESTATIONES XII.

1. Securitatis. Veniet enim diabolus, & quidem in specie angeli, habens iram magnam, & sciens quod modicum sibi tempus restet Apocal. 12.

2. Videntes & considerantes varietatem opinionum in religione, non offendamur, multò minus veritatem abijciamus. Prædixit enim Christus venturos Pseudoprophetas.

3. Falsis opinionibus & erroribus manifestis non detur locus in Ecclesia, sed potius singuli suo loco, eo modo resistere conentur.

4. Auditores non delectentur nouis opinionibus, nec admirentur errores plausibiles ratioui, sed memores huius Christi mandati, caueant sibi à Pseudoprophetis.

5. Non

5. Non decipiamur externa sanctimoniæ specie, quam plerique ex Pseudoprophetis præ se ferunt. Non enim colliguntur vuæ de tribulis.

6. Non iudicemus doctrinam ex donis, vita, & moribus docentium.

7. Nec sibi quiuis modis illicitis iudicium de doctrina sumat. Fiant enim omnia iusto in Ecclesia ordine.

8. Non opinemur stare fidem veram cum mala conscientia, & proposito peccandi. Quia expressè hîc dicitur. Bona arbor facit fructus bonos.

9. Non appropinquemus Deo tantum ore. Extremè enim hic talem hypocrisin detestatur & execratur.

10. Non negligamus verbum & sacramenta propter mores personæ vitiosos.

11. Non decipiamur fictis & falsis Pseudoprophetarum miraculis.

12. Non rideamus comminationes de futuro iudicio impiorum. Veniet enim hora, in qua detracta larua manifestabuntur opera nostra.

DOMINICA IX. TRINITATIS, Euangelium Luc. 16.

Homo quidam erat diues qui &c.

QVÆSTIONES SIMPLICES XXVI.

1. DE regno Dei.
2. De dispensatoribus in hoc regno.
3. De diuersis dispensatorum donis.
4. De vsu donorum.
5. De incertitudine donorum.
6. De politico magistratu.
7. De dispensatoribus magistratus.
8. De patribus familias.
9. De seruis fidelibus & infidelibus.
10. De officio seruorum.
11. De calculo, vel iudicio Dei.
12. De conscientiæ reatu & testimonio.
13. De solicitudine licita & illicita.
14. De labore.
15. De mendicis.
16. De caussis furti & omnis iniustitiæ.
17. De contractibus inter homines.
18. De filiis seculi.
19. Et eorum prudentia.
20. De filiis lucis.
21. Et eorum oscitantia & negligentia, in acquisitione æternorum bonorum.
22. De prudentia spirituali.
23. De diuitiis, cur vocet eas Christus Mammonam iniquitatis.

24. De Eleemosynis, vnde & quibus dandæ.
25. De bonis operibus & eorum præmiis.
26. De vita æterna, à quo, quibus & propter quid detur.

CONIVNCTAE XVI.

1. Quòd distinctiones dominiorum non pugnent cum voluntate & lege diuina.
2. Quòd etiam officiorum & graduum certæ distinctiones inter homines esse possint.
3. Quòd omnia sint à Deo, & non ex nobis.
4. Quòd Deus omnes nostras actiones videat, obseruet, & tandem etiam examinaturus sit.
5. Quòd inius vocare liceat iniustè agentem.
6. Quòd patresfamilias debeant esse soliciti suo modo, & curare, vt omnia in œconomia fiant suo tempore & loco.
7. An liceat tenere proprium, mercari, & negociari?
8. An mendicare sit ignominiosum?
9. An sapientia carnis per se sit res bona vel mala?
10. An Dominus iniustitiam, & dolos serui, an verò aliud in ipso laudauerit?
11. An iubeat nos Christus dare eleemosynas de rapinis?
12. An placeant Deo Eleemosynæ, quæ de bonis iniustis dantur?
13. An debeant serui imitari huius dispensa-

satoris exemplum, & facere sibi amicos de bonis dominorum suorum?
14. An rectè fecerint debitores obedientes dispensatori iniusta petenti?
15. An sancti mortui possint nos recipere in æterna tabernacula?
16. An Eleemosynæ & alia bona opera mereantur vitam æternam?

ADHORTATIONES XV.

1. Pro donis corporis & animæ agamus gratias Deo, à quo omnia accepimus.
2. In omnibus vitæ conditionibus & statibus cogitemus, nos esse dispensatores & seruos Dei, & fideles etiam esse studeamus.
3. Opibus piè & secundum Dei voluntatem vtamur. Erit enim reddenda ratio villicationis nostræ.
4. Cogitemus, dicamus & faciamus iusta. Oculis enim Dei nihil est occultum.
5. Vitæ nostræ incertitudinem sæpè consideremus.
6. Serui sint fideles & seduli.
7. Domini etiam diligenter obseruent suos seruos.
8. Cùm tanto studio hic dispensator sibi de victu prospiciat, multò maiore nos animæ salutem quæramus.
9. Pauperibus fruges & alia necessaria communi-

municemus, & si solutionis moram faciunt, æquo animo hoc feramus. Imò si non sunt soluendo, aliquid etiam eis remittamus.

10. Demus Eleemosynas, sed de bonis iustè partis. Mactat enim filium in conspectu patris, qui offert victimas de substantia pauperis.

11. In contractibus amemus iustitiam cum misericordia coniunctam.

12. In amicis & inimicis laudemus laude digna.

13. Vtamur sapientia nostra sine offensione Dei & proximi incommodo.

14. Studeamus esse filii lucis, & nostro etiam loco diligentes, ne iustè de nobis & negligentia nostra Christus conqueratur.

15. Solum Christum posse nos facere hæredes vitæ æternæ, firmiter statuamus.

DETESTATIONES XX.

1. Patresfamilias non omnia aliis committant. Sed ipsi etiam suum officium faciant. Oculus enim Domini pascit equum.

2. Non apponamus cor huius mundi opibus. Sumus enim villici, & citius quàm speramus, omnia deserenda erunt.

3. Non abutamur Dei donis, nec iniustè dissipemus bona nostra.

4. Domini non conniueant ad vitia seruorũ.

5. Nemo antequam auditus est, damnetur, nec stricto iure procedamus, antequam de toto negotio diligenter inquisiuimus.

6. Non displiceat nobis vitæ nostræ conditio humilis. Qui enim in minimo fidelis fuerit super plura constituetur.

7. Vocati in iudicium vel Dei, vel magistratus, non tegamus peccata nostra, nec priorib. malis alia plura addamus.

8. Sumus debitores omnes, nec soluere possumus. Petamus ergo veniam.

9. Non pigeat nec pudeat nos laboris.

10. Neç mendicare etiam erubescamus, si alia honesta ratione victum acquirere non possumus.

11. Non excogitemus, multò minus exercemus artes inhonestas.

12. Non assentiamur iis, qui iniusta tentant & facere præsumunt.

13. Serui non largientur de alieno, sed dominorum suorum bona fideliter custodiant.

14. Nemo approbet, multò minus iuuet consilio, aut re furta & infidelitatem seruorum.

15. Ocium & ignauiam fugiamus.

16. Non sit maior cura de ventre, quam de anima.

17. Non differamus pœnitentiam, quia sæpè citius sperato Deus nos auocat.

18. Non consulamus nobis & rebus nostris dolo & iniustitia.
19. Non imitemur filios seculi in nequitia, sed potius filios lucis in pietate & iustitia.
20. Non ponamus fiduciam in bona nostra opera, nec aliam extra Christum ad æterna tabernacula viam quæramus.

DOMINICA X. TRINITATIS, Euangelium Luc. 19.

Cum appropinquaret Iesus Ierusalem &c.

QVÆSTIONES SIMPLICES XXIII.

1. DE ciuitate Hierosolyma, & dignitate eius.
2. De philanthropia Christi.
3. De affectibus Christi.
4. De fletu Christi.
5. De causis fletus.
6. De causis pacis.
7. De cæcitate Iudæorum.
8. De visitationibus Dei variis.
9. De tempore visitationis diuinæ.
10. De contemptu huius visitationis.
11. De pœnis contemptus.
12. De vastatione templi & ciuitatis.

13. De

13. De bellis & eorum cauſſis.
14. De templo Hieroſolymitano, & eius fine.
15. De cauſſis, propter quas vult Deus eſſe publicos docentium & diſcentium cœtus.
16. De ſacerdotio leuitico.
17. De ſacrificiis legis.
18. De vendentibus & ementibus in templo.
19. De prophanatione templi.
20. De zelo Chriſti.
21. De diuina Chriſti potentia, quæ in eiectione hac apparet.
22. De innocentia Chriſti.
23. De Eccleſia, vnde colligatur, vel qualis ſit cœtus.

CONIVNCTAE XIIII.

1. An affectus in Chriſto eaſdem habeant cauſſas, quas in nobis habent, & quæ ſint differentiæ?
2. An Chriſtus malum hoc, quod deplorat, auertere potuerit?
3. An Deus abſcondat pœnas, vt homines ſecuros reddat?
4. An Iudæi potuerint, ſi voluiſſent, videre imminentia mala?
5. Quòd Chriſtus ſit verus Deus, quia futura vidit & prædixit, ita, vt tandem euentus etiam verbis eius correſpondeat.
6. An neceſſe fuerit propter hanc Chriſti prædictionem, Iudæis omnia hæc, quæ prædicta erant, euenire mala? 7. An

7. An bella sint ex Deo, vel an Deus sit autor vastationum & aliorum malorum, quæ bella secum ferunt?
8. An liceat Christianis gerere bellum?
9. An velit Deus liberos in publicis calamitatibus portare iniquitatem parentum?
10. An debeant Ecclesiæ ministri vi corporali tollere scandala ex Ecclesia, sicut Christus hîc vendentes & ementes eiicit?
11. An & quomodo factum fuerit templum spelunca latronum?
12. An Christus eijciens vendentes, sacrificia à Deo mandata improbet & tollat?
13. An vendentes & ementes sacrificia peccauerint?
14. Quòd labor docentium non sit inanis in Domino, quia omnis populus adhærebat Christo.

ADHORTATIONES XVII.

1. Ad misericordiam & φιλανθρωπίαν. Condoleamus enim proximo etiam tum, cum propter sua iustè affligitur.
2. Ministri Ecclesiæ considerent peruersitatem hominum & ventura mala, & mitigationem à Deo etiam cum lachrymis petant.
3. Ecclesia plangat & deploret reprobos.
4. Fletum Christi & causas eius sobriè cogitemus.

5. Chri-

5. Christus gaudium suum, quod ex dulci puerorum Osianna percipere debebat, fiera interrumpit. Monemur ergò, vt nos etiam gaudia nostra sic temperemus, ne futurorum malorum obliuiscamur. Plerunque enim externa gaudij luctus occupat.
6. Deploremus nos etiam peccata nostra & pœnas eorum.
7. Pacem à Deo petamus, & conseruare etiam studeamus.
8. Dum spacium & tempus à Deo datur, agamus pœnitentiam, vt effugere ventura mala possimus, sicut ante obsidionem multi pij ex Iudæis, fortassis diuinitus admoniti, trans Iordanem in locum tranquillum translati sunt.
9. Bella, obsidiones, & vastationes ciuitatum non putemus casu accidere, sed agnoscamus esse flagella Dei, quibus peccata nostra puniuntur.
10. Tempus visitationis diuinæ agnoscamus.
11. Ministri Ecclesiæ non gladio, sed verbo tollant abusus.
12. Magistratus verè tollat, etiam vi externa scandala & abusus manifestos.
13. Qui cupiunt habere pacem & tranquillitatem, purgent primum templũ. Ruina enim populi ex docentium culpa originem trahit.
14. Cum fiducia præsentiæ diuinæ, & pio zelo fa-

lo faciamus officium nostrum, repugnantibus etiam inferorum portis, quia Christo nos protegente non inuenient inimici, quid faciant.

15. Templum Dei inseruiat piis vsibus, quibus destinatum est.

16. Ministri Euangelii sequantur, in propagatione doctrinæ, fidelitatem & sedulitatem Christi.

17. Adhæreamus Christo neglectis contradictionibus & fremitu præcipuorum in mundo.

DETESTATIONES XVII.

1. Non absterreamur mundi ingratitudine, & peruersitate, nec propterea quicquam in officio nostro omittamus. Cogitemus enim CHRISTI & omnium fidelium ministrorum mercedem fuisse, querelas & lachrymas, sed pretiosas in conspectu Dei.

2. Non delectemur iniquitate, & peccatis nostris, propter quæ Christus ipse lachrymas fudisse dicitur.

3. Caueamus etiam, ne hodiè adhuc securitate nostra extorqueamus Christo lachrymas.

4. Non rideamus comminationes diuinas, propterea quod ad tempus pœna abscondita est ab oculis nostris, quia sicut Iudæis tandem tristiora euenerunt quam prædicta erant; ita solet hodie adhuc Deus moram suã grauitate pœnæ compensare.

5. Non

5. Non ponamus fiduciam in militum robur, non in ciuitatum munitiones, & muros, non in arma & alia humana præsidia. Quia Domino non custodiente ciuitatem, hæc omnia vana sunt, nec ex manu inimicorum liberare nos possunt.

6. Non contemnamus visitationem diuinam per conciones sacras. Nam peccatum hoc præsentissimam pœnam habet.

7. Non polliceamur nobis perpetuam scelerum & peccatorum impunitatem, ideò quod verbum & cultum diuinum habemus. Hierosolyma enim, quæ ad cœlum vsque exaltata erat, ad infernum detrusa & abiecta est.

8. Non differamus pœnitentiam de die in diem, quia accensus furor iræ diuinæ non facilè cessat, & quæ Hierosolymæ hîc Christus prædicit, singulis impijs in hora mortis euenire solent, vt scribit Gregorius. Angustæ erunt viæ reproborum, superius erit iudex iratus, subtus horrendum Chaos, à dextris peccata accusantia, à sinistris infinita dæmonia ad infernum trahentia, intus conscientia vrens, foris mundus ardens, miser peccator sic deprehensus quo effugiet? latere erit impossibile, apparere intolerabile.

9. Cultum diuinum non vertamus in quæstum, nec maior sit cura de pecuniæ aucupio, quàm de doctrinæ propagatione.

10. Tem-

10. Templum Dei non prophanemus, nec ex domo precationis ſpeluncam latronum faciamus.

11. Cum ſinguli ſint templa Dei, non ſimus turpi tantùm lucro dediti, ne Chriſtus iratus flagello ſuo eijciat ſibi diſplicentia.

12. Auaritiam, vt peſtem religionis ac honeſtatis, fugiamus.

13. Pſeudoprophetas, quos Chriſtus hîc latrones appellat, non audiamus.

14. Inuidiam & odium fugiamus. Non enim ſuadent, quæ recta ſunt coram Deo.

15. Non mirernur, ſi hodiè adhuc huius mundi potentes inſurgere contra Chriſtum videmus.

16. Non nimium fidamus turbæ mobili. Sine dubio enim multi ex his, qui hîc Chriſto adhærebant, poſtea in morte eius exultarunt.

17. Non adulentur ſacerdotes mundi monarchis, neque hi illorum tyrannidem & auaritiam ſtabiliant, vt tempore Chriſti ab Herode & Phariſæis fiebat. Vbicunq; enim hæc peccata regnant, exitium omni populo, & vniuerſales mutationes impendent.

DOMINICA XI. TRINITATIS, Euangelium Luc. 18.

Dixit autem ad quosdam, qui in se &c.

QVÆSTIONES SIMPLICES XIIII.

1. DE diuersis sectis Iudæorum.
2. De Pharisæis.
3. De iustitia Pharisæi.
4. De precatione hypocritica.
5. De gratiarum actione.
6. De obedientia legis externa & interna.
7. De ieiunio vero & falso.
8. De decimis.
9. De bonis operibus.
10. De publicanis.
11. De vera inuocatione Dei.
12. De pœnitentia & eius partibus.
13. De vera iustitia coram Deo.
14. De discrepantia Iudiciorum Christi & humanæ rationis. Christus enim Phatisæum, quem sine dubio totus mundus iustum iudicasset, simpliciter damnat.

CONIVNCTAE XIIII.

1. An non licuerit Iudæis alibi etiam extra templum Hierosolymitanum adorare?
2. An lex requirat simul internam & externam obedientiam?

3. An homo possit præstare legi debitam obedientiam?
4. An iustificetur homo operibus legis?
5. An Pharisæus enumerans sua bona opera, & agens gratias Deo, peccauerit?
6. An iure diuino ad certos ieiuniorum dies obligemur?
7. An abstinentia à certis quibusdam cibis sit verum coram Deo ieiunium?
8. An Christus damnans Pharisæum, opera eius per se damnauerit?
9. An bona opera sint necessaria, cum Pharisæus per ea non sit iustificatus?
10. An Christus iustum reputans publicanum, rapinas & iniustitiam eius approbet?
11. An malum propositum possit simul cum fide & vera pœnitentia stare?
12. An liceat indulgere peccatis ideò, quòd publicanus hic iustificatus in domum suam rediisse dicitur.
13. An homo sola fide in Christum, an verò fide & operibus simul iustificetur?
14. An Euangelium prædicans gratuitam peccatorum remissionem, det licentiam peccandi, & reddat homines securos?

ADHORTATIONES XIIII.

1. Ad verum & non hypocriticum cultum Dei. Ascensuri enim in templum videamus,

quo hoc à nobis animo fiat, ne cum Pharisæo sine gratia inde redeamus.

2. Ad studium bonorum operum & vitæ integritatem.

3. Ad humilitatem agnoscendam, & deplorandas reliquas in nobis sordes. Nam qui sine ea, opera sua coram Deo prædicat, aut virtutes multas congregat, reuera puluerem in ventum portat, vt inquit Gregorius.

4. Ad inuocationem veram, quæ non in nostro, sed Christi nomine fieri debet.

5. Ad gratiarum actionem pro Dei donis, à qua tamen longe abesse debet superbia & arrogantia.

6. Ad moderationem in cibo & potu, & ieiunia vera, quibus nos exerceamus sine opinione meriti.

7. Ad iustitiam & gratitudinem in dandis decimis.

8. Ad veram pœnitentiam.

9. Ad contritionem.

10. Ad agnitionem Christi.

11. Ad fiduciam veram in DEVM propter Christum.

12. Ad dilectionem fraternam tegẽtem aliorum delicta. Nam iustus primùm accusator est sui, non aliorum.

13. Ad reuerentiam & metum iudicii diuini. Non enim iudicat Christus, vt oculi tantùm

vident,

vident, sed interiora etiam cordis intuetur & iudicat.

14. Exaltati à Deo ambulemus in timore Domini. Tam enim ex primis possunt fieri nouissimi, quàm ex nouissimis primi.

DETESTATIONES XVI.

1. Præsumptionis humanæ, quæ sibi perfectam pollicetur sæpè iustitiam, cùm tamen vix vmbram iustitiæ adhuc habeat.

2. Iudicij illiciti, quod cum superbia semper est coniunctum, & alios despicit & contemnit.

3. Non offendamur, quòd hodie adhuc diuersæ sunt inter homines opiniones. Duo enim illi, qui simul in templum ascendebant, animis & sententiis inter se dissidebant.

4. Hypocriseos pernicioſissimæ, quæ ore quidem appropinquat, corde autem longe est à Deo.

5. Rapinarum.

6. Iniustitiæ.

7. Adulterij.

8. Exactionum immodicarum.

9. Temulentiæ & ebrietatis.

10. Non detegamus, multò minus immodicè exaggeremus næuos & peccata proximi.

11. Fugiamus peccata etiam propter hanc causſam, quòd eis excitatis non possumus

attollere in cœlum oculos.
12. Non ſemper rideamus externos pœnitentium geſtus. Sæpè enim ſunt contriti cordis indicia, & veræ pœnitentiæ ſigna.
13. Non tamen ludamus externis geſtibus, ſine veris cordis motibus.
14. Non iudicemus ante tempus. Eſt enim qui videt, intelligit, & iudicat, Chriſtus.
15. Superbiam ſpiritualem & corporalem fugiamus, qui enim ſe exaltat, humiliabitur.
16. Miſeros peccatores non mox damnemus. Poſſunt enim ex peccatis reſurgere & gratiam impetrare.

DOMINICA XII. TRINITATIS, Euangelium Marc. 7.

Et rurſum egreſſus Ieſus de finibus &c.

QVÆSTIONES SIMPLICES XII.

1. DE itineribus Chriſti & eorundem cauſſis.
2. De integris humani corporis viribus.
3. De morborum & aliarum calamitatum cauſſis.
4. De peccato originali.
5. De diaboli malitia.
6. De fide aliena.

7. De

7. De impositione manuum.
8. De spiritualibus nostris defectibus, quos extra Christum nemo curare potest.
9. De sensibus externis, & eorum pio vsu.
10. De Christi φιλανθρωπίᾳ & omnipotentia.
11. De finibus miraculorum.
12. De gestibus, quibus hic Christus vtitur, & eorum caussis.

CONIVNCTAE XIIII.

1. Quòd gentes etiam pertineant ad regnum Christi, & societatem Ecclesiæ.
2. An minister Ecclesiæ possit bona conscientia in vno certo loco perpetuò manere, cùm Christum tot fecisse itinera legamus?
3. An defectus auditus, loquelæ, & similes, sint ex Deo, an verò ex diabolo?
4. Quòd omnes homines ex vtero peccatum trahant, quia in vtero pœnis peccatorum sunt obnoxij.
5. Cur interdum Deus hominibus membrorum quorundam vsum deneget?
6. An possint saluari surdi & muti, cum dicatur, fides ex auditu est. Item, ore fit confessio ad salutem?
7. An fide aliena possit iustificari vllus homo?
8. An opus fuerit gestibus, quibus in præsenti miraculo Christus vtitur?

9. An in curatione morbrorum liceat vti mediis, cùm certum sit, Deum solo verbo posse curare omnes morbos?

10. Quòd pius vsus membrorum, & omnia bona opera sint ex Deo. Ipso enim soluente linguam nostram, rectè loquimur.

11. An Christus nolit prædicari miracula sua, & an turba hæc spargens, contra Christi mandatum hoc rectè fecerit?

12. Quòd fides vera non facilè patiatur sibi injici frenum, iuxta illud: Credidi, propter quod locutus sum.

13. Quòd omnia Dei opera bona & perfecta sint.

14. Quòd Deus non sit autor peccati, quia omnia, quæ facit, bona sunt.

ADHORTATIONES XVI.

1. Ad sedulitatem in laboribus vocationis.

2. Ad misericordiam & dilectionem proximi. Afficiamur enim, vt turba hæc, proximi calamitate, & quantum in nobis est, mitigare eam studeamus.

3. Pro afflictis cum gemitu & cordis affectu oremus ad Deum.

4. Ministri Ecclesiæ infirmos in fide suscipiant, & Christo adducant.

5. Patresfamilias singuli, si quos habent inter suos surdos, non audientes verbum, aut mutos,

mutos, non annunciantes gloriam Dei, adducant eos precibus & admonitionibus ſuis Domino, & digito eius ſanari petant.
6. Omnes homines petant digito Dei ſibi aures & linguam ſolui.
7. Integras corporis vires agnoſcamus ingens Dei beneficium eſſe, & pro eis etiam gratias agamus.
8. Auribus, lingua & aliis membris piè & reuerenter vtamur.
9. Facturi bonum opus, ſecedamus à populo, hoc eſt, non imitemur mundi exemplum, quia planè diuerſum iubet & ſuadet.
10. Conſiderantes ſpirituales noſtros defectus cum gemitu ſuſpiciamus in cœlum, hoc eſt, agnoſcamus peccata noſtra, & veniam à Deo petamus.
11. Crucem patienter feramus, freti hac ſpe, quòd Chriſtus afflictiones noſtras videt, condolet, & vnico nos verbo liberare poteſt.
12. Miracula Chriſti cum admiratione intueamur, & grato animo prædicemus.
13. Chriſtum coram omnibus confiteamur.
14. Omnia, quæ Chriſtus facit, & dicit vera, recta & bona eſſe credamus, etiamſi ratio & caro noſtra contrarium ſtatuit.
15. Crucem bonam & ſalutarem eſſe ſtatuamus.
16. Liberati ex tribulatione non caſu hoc factum

ctum esse opinemur, sed Dei auxilium agnoscamus & celebremus.

DETESTATIONES X.

1. Non grauemur propter Euangelium magna facere itinera, aut grauia etiam sustinere exilia, cùm Christum idem feciſſe audiamus.

2. Non habeant ministri Christi delectum auditorum, sed omnibus populis Euangelion prædicent.

3. Homines surdos, mutos, aut aliis oppressos calamitatibus, non rideamus, multò minus exàgitem⁹, vt impius mund⁹ facere solet.

4. Omnem abusum aurium, linguæ, & aliorum membrorum studiosè fugiamus.

5. Execrationes & diras blasphemias vitemus. Non enim ad hoc vsum linguæ Deus nobis concessit.

6. Media licita in morbis non negligamus, & adiuti non creaturis sed Deo gloriam tribuamus.

7. In actionibus nostris non quæramus inanem gloriam aut laudem humanam.

8. Non moueamur, nec dubitemus, de effectu, si quando Deus opera sua contrario rationi modo perficere incipit. Omnia enim, quæ vult, facere potest.

9. Non nobis, sed soli Deo danda est gloria. Ipse enim solus benè omnia fecit.

10. Non

10. Non faciamus Deum authorem peccati aut mali, vt multi impudenter faciunt.

DOMINICA XIII. TRINITATIS, Euangelium Luc. 10.

Et conuersus ad discipulos Iesus &c.

QVÆSTIONES SIMPLICES XL.

1. DE præsentia Christi duplici, visibili & inuisibili.
2. De aspectu Christi duplici, externo & interno.
3. De prærogatiua discipulorum Christi.
4. De dignitate Euangelij.
5. De vera beatitudine, quænam sit.
6. De desiderio Christi in sanctis patribus, & prophetis, & eiusdem caussis.
7. De iustitia fidei.
8. De beatitudine vitæ futuræ, in qua rursum Christum à facie ad faciem videbimus.
9. De malitia & astutia diaboli, conantis per legisperiti quæstionem impedire insignem Christi concionem.
10. De diuina Christi sapientia. Quia agnoscit diaboli conatum, & ita ad propositam quæstionem respondet, vt simul etiam in cœpta sua concione pergat.

11. De

ctum esse opinemur, sed Dei auxilium agnoscamus & celebremus.

DETESTATIONES X.

1. Non grauemur propter Euangelium magna facere itinera, aut grauia etiam sustinere exilia, cùm Christum idem fecisse audiamus.
2. Non habeant ministri Christi delectum auditorum, sed omnibus populis Euangelion prædicent.
3. Homines surdos, mutos, aut aliis oppressos calamitatibus, non rideamus, multò minus exàgitem⁹, vt impius mund⁹ facere solet.
4. Omnem abusum aurium, linguæ, & aliorum membrorum studiosè fugiamus.
5. Execrationes & diras blasphemias vitemus. Non enim ad hoc vsum linguæ Deus nobis concessit.
6. Media licita in morbis non negligamus, & adiuti non creaturis sed Deo gloriam tribuamus.
7. In actionibus nostris non quæramus inanem gloriam aut laudem humanam.
8. Non moueamur, nec dubitemus, de effectu, si quando Deus opera sua contrario rationi modo perficere incipit. Omnia enim, quæ vult, facere potest.
9. Non nobis, sed soli Deo danda est gloria. Ipse enim solus benè omnia fecit.

10. Non

10. Non faciamus Deum authorem peccati aut mali, vt multi impudenter faciunt.

DOMINICA XIII. TRINITATIS, Euangelium Luc. 10.

Et conuersus ad discipulos Iesus &c.

QVÆSTIONES SIMPLICES XL.

1. DE præsentia Christi duplici, visibili & inuisibili.
2. De aspectu Christi duplici, externo & interno.
3. De prærogatiua discipulorum Christi.
4. De dignitate Euangelij.
5. De vera beatitudine, quænam sit.
6. De desiderio Christi in sanctis patribus, & prophetis, & eiusdem caussis.
7. De iustitia fidei.
8. De beatitudine vitæ futuræ, in qua rursum Christum à facie ad faciem videbimus.
9. De malitia & astutia diaboli, conantis per legisperiti quæstionem impedire insignem Christi concionem.
10. De diuina Christi sapientia. Quia agnoscit diaboli conatum, & ita ad propositam quæstionem respondet, vt simul etiam in cœpta sua concione pergat.

11. De

11. De vita futura, quòd sit.
12. De via ad hanc vitam.
13. De lege, quid sit.
14. De obedientia legis duplici, interna & externa.
15. De viribus & potentiis humanis, & earundem diuersis actionibus.
16. De iustitia legis, qualis sit.
17. De proximo quis sit.
18. De iustitia originali.
19. De lapsu Adæ.
20. De caussis huius lapsus.
21. De latrone & hoste generis humani.
22. De peccato originis, & eius partibus.
23. De fine & effectibus huius peccati.
24. De Christo, cur Samaritanus dicatur?
25. De Christi officio.
26. De Christi φιλανθρωπίᾳ & immensa misericordia.
27. De caussis veris nostræ redemptionis in Deo.
28. De vsu legis.
29. De vsu Euangelij.
30. De discrimine legis & Euangelij, quod ex vini & olei natura sumi potest.
31. De ascensione Christi.
32. De mandato, quod ante ascensionem suam Christus discipulis dedit.
33. De Ecclesia, quæ & vbi sit, & quinam ad eam

eam pertineant. Ex simili de diuersorio.

34. De ministerio Euangelij, quòd sit ordinatio Dei.

35. De partibus ministerij.

36. De officio fidelium ministrorum.

37. De veteri & nouo testamento.

38. De supererogatione, de qua hîc Christus loquitur, quænam & qualis sit.

39. De retributione huius supererogationis.

40. De reditu Christi in die iudicij.

CONIVNCTAE XIX.

1. An externus & ocularis Christi aspectus, Apostolos beatos, hoc est, hæredes vitæ æternæ fecerit?

2. An in hæreditate vitæ æternæ Apostoli aliquam, præ sanctis patribus & nobis, prærogatiuam habuerint?

3. An omnes, qui Christum in terris ambulantem oculis suis viderunt, saluati sint?

4. An, & quomodo sancti patres & prophetæ Christum viderint?

5. An etiam ea, qua nos fide iustificati sint?

6. Quòd Christus omnibus seculis in Ecclesia magno desiderio expectatus sit.

7. An sancti patres & Prophetæ, habuerint veram Euangelij cognitionem, cùm hic dicatur: voluerunt audire, quæ vos auditis, & non audierunt: (sci. ex hoc doctore & eadem forma

forma, licet materia doctrinæ esset eadem.)

8. An reliquiæ sanctorum monstratæ sub papatu, attulerint veram intuentibus beatitudinem?

9. Quòd iustitia legis non in sola cognitione, aut externa obedientia, sed perfecta impletione consistat.

10. An vita æterna detur ex gratia, an verò ex debito?

11. An Christus ablegans legisperitum ad doctrinã legis, voluerit asserere legis iustitiam, vel opinionem legisperiti confirmare?

12. Quòd lex requirat internam & externam obedientiam.

13. Quòd nemo ex sese obedientiam hanc rectè intelligat, multò minus præstet, & per consequens operibus legis nullus homo iustificetur.

14. Quòd ceremoniis & sacrificiis legis nemo vnquam iustificatus sit, quia sacerdos & leuita hic prætereunt.

15. Quòd primi parentes liberâ suâ voluntate sese auerterint à Deo, & prolapsi sint in peccatum.

16. Quòd vtraque doctrinæ pars, lex & Euangelium, sit retinenda in Ecclesia.

17. Quòd solus Christus ad societatem Ecclesiæ & vitam æternam nos perferat.

18. An Christus dederit Ecclesiæ potestatem

super

ſuper erogandi, hoc eſt, ordinandi & mutandi in doctrina pro libitu ſuo quęuis, & nouos fidei articulos condendi?

19. An Eccleſia omninò nihil ordinare & ſtatuere poſſit?

ADHORTATIONES XX.

1. Ad gratiarum actionem pro luce Euangelij. Verè enim beati ſunt, qui audiunt, quæ Apoſtoli audiuerunt & docuerunt.

2. Miniſtri Eccleſiæ de hac felicitate ſæpe auditores ſuos moneant, & ad gratitudinem eos hortentur.

3. Ad patientiam in perferendis mundi & diaboli iniuriis. Omnia enim hæc non impedient nos, quò minus ſimus beati, cùm modo habemus & audimus puram Euangelij doctrinam.

4. Euangelion omnibus mundi operibus anteferamus.

5. Petamus conſeruari ſanam doctrinam. Vt enim diabolus hic Chriſtum docentem per legiſperiti importunam interpellationem interturbare conatur: Ita hodie adhuc curſum Euangelii vel manifeſta violentia & perſecutione, vel ſaltem hæreticorum importunitate impedire ſtudet.

6. Deſiderio magno expectemus, & expetamus vitam futuram. In ea enim Chriſtum rurſus videbimus & audiemus.

7. De

7. De vita futura quidem inquiramus, ſed ſtudio diſcendi, non tentandi, vt legiſperitus faciebat.

8. Miniſtri Eccleſiæ excitaturi in auditoribus ſuis deſiderium gratiæ, imitentur Chriſti exemplum, & primùm legis doctrinam eis proponant.

9. Deum diligamus toto corde, tota anima, tota, mente, & omnibus viribus noſtris.

10. Proximum verò, vt nos ipſos.

11. Omnibus præceptis legis internam & externam præſtare obedientiam ſtudeamus.

12. Admoniti Chriſti exemplo, errantes ſanare non perdere conemur.

13. Prauitatem & corruptionem naturæ noſtræ probè conſideremus, ne eius obliti in eandem cum legiſperito præſumptionem & ſuperbiam delabamur.

14. Proximum afflictum noſtra ope iuuemus & ſubleuemus.

15. Infirmis & ægrotantibus pro facultate noſtra omnia fraternæ dilectionis officia exhibeamus.

16. Miniſtri Eccleſiæ in curatione ſpiritualium vulnerum, ſint aſſidui & fideles.

17. Duos ſibi à Chriſto groſſos datos conſeruare, & ad vſum auditorum conferre ſtudeant.

18. Semperque cum Euangelio legem coniungant.

iungant. Neutra enim doctrinæ pars sine altera salutaris erit.

19. Denique sint etiam parati, pro Christo & Euangelio non tantùm bona, sed animam insuper suam ponere, hac se spe erigentes, quòd in illa vita copiosè Christus reddet, quę in hac supererogamus.

20. Veritatem etiam in inimicis laudemus, & approbemus. Quæ enim legisperitus vera dicit, Christus non malitiosè cauillatur, aut reiicit, sed vera & recta esse affirmat.

DETESTATIONES XIIII.

1. Caussam malorum in mundo, non asscribamus Euangelio. Verè enim beatissima sunt tempora & loca, in quibus Christus auditur & videtur.

2. Non calumniemur, multò minus abijciamus Euangelium ideò, quod perpetuò sanctam crucem comitem habet. Sunt enim beati, qui doctrinam Apostolorum audiunt, quantumuis etiam alias in mundo præmantur.

3. Caueamus, ne vox Euangelii frustrà nobis prædicetur.

4. Non putemus vitæ huius beatitudinem in sola rerum terrenarum copia sitam esse. Aliam enim nobis hîc Christus & veram beatitudinem monstrat.

5. Non vilipendamus beatitudinem vel salutem, quæ cum doctrina Euangelij ad nos venit, multo minus verò eam conuitiemur, vt multi nunc ingrati faciunt.

6. Hypocrisin, superbiam, & præsumtionem fugiamus. His enim vitiis regnantibus Christus cum Euangelio suo, vt hic à legis perito, negligitur.

7. Legis perfectam impletionem nobis in hac vita non polliceamur. Multi enim proximum adhuc nõ norunt, multò minus ipsum, vt seipsos, diligunt.

8. Non oppugnemus veritatem. Confunduntur enim tandem turpissimè omnes, qui luci diuinæ tenebras offundere conantur.

9. Non extenuemus peccatum originis, nec vires nostras immodicè extollamus. Sumus enim exuti & vulnerati, hoc est, priuati iustitia originali, & præterea in omnibus corporis & animi partibus misere deprauati.

10. Non prætereamus aure surda clamorem pauperis & afflicti.

11. Doctores Ecclesiæ in ministerio suo, non vtantur tantùm oleo, sed etiã vino, hoc est, in delinquentes iusta seueritate animaduertant.

12. Auditores verò non repugnent eis, qui vinum infundunt, & concione legis corda feriunt.

13. Non existimemus eos tantùm esse proximos,

mos, & amore nostro dignos, qui bene de nobis meriti, aut aliqua carnis cognatione nobis iuncti sunt, sed omnes, qui ope nostra indigẽt.

14. Non tantum sciamus quis sit proximus, sed eum diligere studeamus.

DOMINICA XIIII. TRINITATIS, Euangelium Luc. 17.

Accidit autem cum iret Hierosolymam &c.

QVÆSTIONES SIMPLICES LXVII.

1. PHilanthropia Christi, quæ ex multis magnis & durissimis eius iuneribus apparet.
2. De cruce.
3. De lepra & leprosis.
4. De caussis lepræ, & aliorum morborum.
5. De lepra spirituali, & eius mundatione.
6. De inuocatione vera, quæ, & qualis sit, vel esse debeat.
7. De misericordia Christi, quia etiam in ingratos beneficium confert.
8. De eius omnipotentia.
9. De caussis, propter quas Christus leprosos ad sacerdotes ablegauit.
10. De mora, quæ in exauditione precum nostrarum nonnunquam fieri solet, & eius caussis.

11. De exercitiis fidei.
12. De ministerio verbi.
13. De iudicio lepræ, quod sacerdotibus legis demandatum erat.
14. De miraculis.
15. De prauitate cordis humani, quod aduersa quidem mox sentit, & opem expetit, sed postea accepti beneficij facilè obliuiscitur.
16. De pœnis ingratitudinis.
17. De effectibus fidei.

CONIVNCTAE XI.

1. Quòd etiam ad alias gentes præter Iudæos, doctrina Euangelij cum omnibus suis beneficiis pertineat. Probatur enim hoc ex Christi itinere & miraculo, quod in Samaritano etiam facit.
2. Quòd Christus sciens & volens se propter nos crucifigendum obtulerit, testatur spontaneum hoc ad Hierosolymam eius iter.
3. Quòd omnium morborum causa principalis peccatum sit.
4. Et quòd necesse sit etiam infantes habere peccatum, cùm sæpè lepram & alios morbos secum ex vtero trahant.
5. An Papistæ superstitiosam peccatorum enumerationem in confessione auriculari rectè probent ex eo, quòd hic Christus leprosos ad sacerdotes ablegat?

6. Quòd

6. Quòd Christus verè tollat peccatum, quia effectus eius, vt morbos & mortem ipsam, sæpè sustulit.

7. Quòd Christus videat & obseruet ingratitudinem hominum.

8. Quòd veram fidem semper comitentur alia bona opera, inuocatio Dei, patientia gratiarum actio & similia.

9. Quòd multi sint vocati pauci vero electi.

10. Quomodo intelligenda sint hæc verba: Fides tua te saluum fecit, cùm certò constet, non qualitatem ipsam fidei, sed Christum verbo suo mundasse hunc leprosum.

11. Quòd sola fide iustificemur.

ADHORTATIONES XVI.

1. Ministri Ecclesiæ pari studio, conatu, sedulitate, & labore, quo Christum hìc fecisse audiunt, officium suum exequantur, nec vllam se difficultatem absterrere sinant.

2. Operam & auxilium nostrum multis offeramus, præsertim cum aduersa valetudine conflictantibus.

3. Qui lepra, peste, & aliis morbis contagiosis infecti sunt, imitentur horum leprosorum exemplum, stent à longe, nec sua conuersatione alios inficiant.

4. Aspectu leprosorum & aliorum afflictorum admoneamur de misera generis humani

conditione, & eò ardentiores pro corporis incolumitate Deo gratias agamus.

5. Agnoscamus nos omnes spirituali lepra infectos esse, & à solo Christo mundari nos petamus.

6. In omni calamitate, voce alta, & fide firma Christum inuocemus, Vult enim & potest iuuare.

7. Morbos hoc etiam nomine moderatius feramus, quòd ad agnitionem Christi & precationem impellunt multos, qui alias vtrunq; negligerent.

8. Singuli suo loco ministerium publicum conseruare & iuuare studeant, sicut Christus hoc loco leprosos ad sacerdotes mittit, vt ius & authoritatem eorum confirmet.

9. Cupientes liberari à spirituali lepra, vtamur beneficio ministerii, & iuxta CHRISTI mandatum absolutionem à ministris Ecclesiæ petamus.

10. Liberati ex aduersis tribuamus omnem glotiam non hominibus, sed Deo, reipsa etiam gratitudinem præstemus.

11. In operibus dilectionis non respiciamus ad retributionem humanam, sed moti Dei mandato & Christi exemplo nonnunquam etiam in ingratos beneficia conferamus.

12. Pro acceptis beneficiis simus grati Deo & hominibus.

13. Si non ſemper pro voluntate noſtra exaudimur, æquè feramus, quia pleriq; homines abtuntur accepta gratia.

14. Petamus nos conſeruari in viis Domini. Facilè enim, qui nunc ſtat, rurſus cadere poteſt.

15. Ingratitudinem & alia hominum vitia taxent Eccleſiæ miniſtri, ſicut Chriſtus hoc loco de ingratis diligentiſſimè inquirit.

16. Fidem in Chriſtum conſeruare ſtudeamus. Quia ſaluos nos facit.

DETESTATIONES XIII.

1. Non attrahamus nobis intemperantia noſtra vitæ pericula, quia alias innumeris morbis propter peccata obnoxij ſumus.

2. In morbis non murmuremus, nec indignè nos puniri exiſtimemus. Sumus enim præſentium & æternarum pœnarum digni, ſi iniquitates noſtras Deus obſeruare voluerit.

3. In inuocatione non nitamur fiducia propriæ dignitatis, ſed ſola Dei miſericordia.

4. Si quando Chriſtus mora longiore fidem noſtram exercet, non ægrè hoc feramus, nec inuocare ceſſemus.

5. Non rapiamus ad nos bona Eccleſiæ, nec ſpecie iuris aut prætextu honeſti eis, qui ſunt in miniſterio, debitum ſuũ denegemus. Chriſtus enim hic leproſos ad ſacerdotes non ità fideles ablegat, & vult vt munus ſuũ offerant.

6. Non mutemus temerè quasuis in Ecclesia receptas & tolerabiles ceremonias.

7. Acceptorum beneficiorum non mox obliuiscamur, nec simus ingrati bene de nobis meritis.

8. Cùm Christus nos à spirituali lepra mundauerit, fugiamus nunc peccatum, nec temerè nos rursus polluamus.

9. Propter hominum ingratitudinem non cessemus benefacere.

10. Liberati ex morbis non opinemur hoc casu factum esse, sed Dei auxilium agnoscamus & prædicemus.

11. Donati pristina valetudine, non mox ea rursus abutamur.

12. Non iudicemus ante tempus. Samaritanus enim qui videbatur inter decem nouissimus, primus est qui Christo gratias agit.

13. Non offendamur, si hodiè maiorem partem generis humani Deo ingratam esse videmus. Sic enim Christi tempore etiam accidit.

DOMINICA XV. TRINITATIS, Euangelium Matth. 6.

Nemo potest duobus Dominis &c.

QVÆSTIONES SIMPLICES XXI.

1. DE cultu Dei.
2. De cultu Mammonæ.
3. Cur nemo simul & semel his duobus Dominis seruire possit.
4. De proprietate rerum & diuitiis.
5. De immodico diuitiarum amore, quinam sit.
6. De omnipotentia Dei.
7. De misericordia & bonitate diuina.
8. De corpore & viribus corporis, vnde sint.
9. De vita humana & autore eius.
10. De dignitate & excellentia animæ præ reliquis bonis.
11. De prouidentia diuina.
12. De vanitate, inutilitate, & infelicitate conatuum humanorum, sine præsentia & auxilio Dei.
13. De dignitate, quam præ aliis creaturis homo habet, quæ & qualis sit.
14. De discrimine solicitudinis piæ & Ethnicæ.
15. De vero vsu & abusu diuitiarum.
16. De bonis æternis.
17. De bonis huius mundi.
18. De promissionibus duplicibus, spiritualibus & corporalibus.
19. De regno Dei.
20. De iustitia eius.
21. De afflictione dierum nostrorum, quænam sit.

CONIVNCTAE XXI.

1. An ſine diſcrimine, omnis hic ſolicitudo prohibeatur.
2. An liceat Chriſtianis tenere proprium?
3. An homo pius ſimul ſeruire Deo & poſſidere opes poſſit?
4. An opes & diuitiæ per ſe ſint res malæ, & cultum Dei impediant?
5. An & quatenus liceat eſſe ſolicitum de victu & amictu?
6. An labor & ſtudium parandi neceſſaria, hìc prohibeantur?
7. An colere agrum, ſerere, metere, & in horrea fruges congregare liceat?
8. An Chriſtus hic ocium, ignauiam, prodigalitatem, & negligentiam hominum approbet?
9. Quòd Deus reſpiciat, curet & ſuſtentet omnes creaturas.
10. Quòd victus & amictus nobis non obijciantur caſu, ſed reuera ſint Dei dona.
11. Quòd omnes creaturæ teſtentur de prouidentia diuina.
12. Quòd Deus etiam tunc, cum omnibus humanis præſidijs deſtituimur, nos æquè vt volucres cœli & alias creaturas nutrire & ſuſtentare poſſit.
13. Quòd non cura, ſolicitudo, aut labor noſter, ſed ſola benedictio diuina diuites faciat.

14. Quòd

14. Quòd Deus sciat & videat, quibusnam indigeamus.

15. An liceat externam corporis culturam studiosius obseruare, cùm Christus hìc omnem gloriam Salomonis adeo extenuet?

16. Quòd ars humana possit imitari, sed non exæquare naturam.

17. An necesse sit inuocare Deum, cùm antea non ignoret, quibus nobis opus sit?

18. Quòd homines non principaliter propter hanc præsentem, sed propter aliam & æternam vitam à Deo sint conditi.

19. An quærentibus regnum Dei semper omnia adijcientur, nec quicquã vnquã desit?

20. An & quomodo crastinus dies sibiipsi sit solicitus?

21. Quòd non sint accersenda non necessaria mala. Sufficit enim diei afflictio sua.

ADHORTATIONES XVI.

1. Ad integrum & syncerum Dei cultum.

2. Ad firmam fiduciam in Deum.

3. Ad pium & moderatum vsum diuitiarum.

4. Ad cultum corporis & animæ licitum.

5. Ad securitatem & diligentiam in laboribus vocationis.

6. Ad piam & licitam solicitudinem, quam officij nostri ratio à nobis requirit, teste Paulo ad Rom. 12.

7. Ad assiduam meditationem prouidentiæ & clementiæ diuinæ.

8. Ad sobrium aspectum & considerationem omnium creaturarum Dei.

9. Habentes victum & amictum simus contenti. Incidunt enim in laqueos diaboli, qui diuites fieri volunt.

10. Ad considerationem ingentium donorum, quæ Deus in creatione nobis præ multis aliis creaturis dedit.

11. Ad modestiam in vestitu, conuenientem personæ & officio nostro. Vanitas enim & stultitia est, magnis sumtibus quærere ea, quæ cum optimè parata videntur, non sunt floscu-lis agri similia.

12. Simus contenti ea forma, quam DEVS corporibus nostris in vtero dedit. Non enim possumus cogitando ad staturam nostram cubitum vnum adiicere.

13. Regnum Dei & cœlestia bona præ terrestribus eligamus & quæramus.

14. Iustitiam veram non in nobis, sed extra nos, in Christo quæramus.

15. Faciamus præsentia & necessaria, & reliquam curam omnem in Dominum coniiciamus.

16. Præsentia commoda & incommoda patienter feramꝰ, nec stultis mutationibus plus nobis mali accersamus. Sufficit enim diei afflictio sua.

DE-

DETESTATIONES XV.

1. Auaritiæ, quæ est idololatria vel cultus iniquitatis.

2. Non seruiamus opibus, sed ipsæ potius nostris & aliorum commodis & necessitatibus inseruiant.

3. Impiæ fiduciæ, quam diuites in euanescentes huius mundi opes collocant.

4. Solicitudinis impiæ, quæ ex diffidentia oritur.

5. Illicitarum rationum & viarum, quibus impius mundus per fas & nefas opes corradere studet.

6. Non simus Neutrales inflectentes nos ad nauis latus felicius, sed sit constantia in dictis & factis nostris.

7. Ignauiæ, incuriæ & negligentiæ in laboribus Ecclesiasticis, politicis & œconomicis, quam multi hîc à Christo approbari & mandari falso opinantur.

8. Immunditiei & sordium in vestitu. Non enim Christus hæc vitia laudat, dum impiam solicitudinem (de cultu) damnat.

9. Peruersitatis & cæcitatis humanæ, quâ fit, vt pleriq; potiorem curam corporis quam animæ, victus & amictus quam salutis æternę habeant.

10. Oscitantiæ humanæ, quæ nullis, nec miraculis, nec aliis testimonijs prouidentiæ diuinæ

uinæ mouetur, vt promissionibus Dei fidem habeat.

11. Diffidentiæ & desperationis, quæ non credit Deum nos magis quam volucres cœli curare.

12. Epicuræi contemptus, regni Dei, & iustitiæ eius.

13. Modicæ fidei & incredulitatis.

14. Curiositatis, quæ propter incertas spes, aut metum futurorum euentuum discedit ab officio.

15. Non tentemus Deum, nec temerè attrahamus pericula, quæ bona conscientia effugere possumus. Habent enim per se singulæ dies afflictiones suas.

DOMINICA XVI. TRINITATIS, Euangelium Luc. 7.

Et factum est deinceps &c.

QVÆSTIONES SIMPLICES XIX.

1. DE itineribus Christi.

2. De discipulis Christi & turba sequente.

3. De incertitudine & fragilitate vitæ humanæ.

4. De morte & eius causis.

5. De liberis & eorum educatione.

6. De

6. De cauſis, cur Deus multis hominibus ſobolem vel prorſus deneget, vel ſaltem non tam numeroſam, quam aliis concedat.
7. De cauſis & finibus crucis.
8. De viduis.
9. De ærumnis coniugii & piorum coniugum.
10. De luctu.
11. De loco, forma & cauſis honeſtæ ſepulturæ.
12. De miſericordia Chriſti.
13. De eius omnipotentia.
14. De vi & efficacia verborum Chriſti.
15. De miraculis.
16. De reſurrectione mortuorum, quòd ſit.
17. De timore Dei.
18. De diuerſis turbæ de Chriſto iudicijs.
19. De viſitatione Dei, qualis ſit, de qua hic populus loquitur.

CONIVNCTAE XIII.

1. Quòd nulla calamitas ſola ſit, ſed ſemper vnam alia apud pios comitetur, ſicut hic miſeræ mulieri poſt mariti obitum mox vnicus etiam filius moritur.

2. Quòd Chriſtus afflictiones & dolores noſtros videat, & hodie adhuc occaſiones iuuandi diligenter obſeruet, ſicut hic ciuitatem Nain eo ipſo temporis momento, quo defunctus adoleſcens effertur, tempeſtiuè ingreditur.

3. An

3. An defuncto corpore anima hominis adhuc viuat?

4. Quòd mortui honorificè sint deducendi & sepeliendi.

5. An liceat lugere & deplorare mortuos?

6. Quòd CHRISTVS sit victor mortis & inferni.

7. Quòd vno verbo possit resuscitare mortuos.

8. Quòd post resurrectionem anima cum corpore rursus coniungetur.

9. Quòd Christus in resurrectione singulis sua, hoc est, piis parentibus suos liberos & contra rursus reddet.

10. Quòd resuscitati in illo die sese rursus mutuò agnoscent.

11. Quòd amor mutuus, beneuolentia & aliæ similes virtutes, in illa futura vita non tollentur ex natura hominum, sed multò ardentiores & sinceriores, quam nunc sunt, erunt.

12. Qualem Prophetam Christum esse turba existimarit.

13. Quòd fama de Christo per totam Iudæam diuulgata sit, & propterea Iudæi in illo die non habebunt, quod prætendant, aut quo contemptum suum excusent.

ADHORTATIONES XVIII.

1. Ecclesiæ ministri non tantùm publicè doceant,

ceant, sed domi etiam priuatam suam scholam & Ecclesiam colligant & instituant, sicut Christum magnum numerum discipulorum secum duxisse audimus.

2. Adhæreamus Christo & verbo eius.

3. Captemus & nos occasionem benefaciendi aliis, sicut Christum hic fecisse legimus.

4. Præparent se pij ad crucem. Quos enim Deus diligit, eosdem virga crucis visitat.

5. Ad patientiam, fortitudinem & spem liberationis in cruce. Cùm enim Christus hîc neque rogatus neq; vocatus sponte accedat, & lugentem mulierem sermone & facto consoletur, certum est, quòd nostris aduersitatibus afficiatur, & liberare inuocantes velit, & solo etiam verbo possit.

6. Parentes agnoscant liberos esse Dei donum, & hac conditione datos, vt hora nobis ignota Deo reddantur. Studeant ergo eos sic educare, ne quod Dominus dedit, diabolus tandem auferat.

7. Ambulemus in timore Dei, & singulis momẽtis ad mortem nos præparemus. Mors enim tam iuuenibus quam senibus formidabilis, & mortis hora incerta est.

8. Mortuos nostros piè lugeamus, & honestè sepeliamus.

9. Gaudeamus cum gaudentibus, & lugeamus etiam cum lugentibus.

10. Coniuges sese mutuò ament & obseruent, vitæque prorogationem à Deo petant. Misera enim est viduarum conditio.

11. Tristes verbis & factis consolemur.

12. Miserarum viduarum omnes, qui possunt & debent, piam curam agant.

13. Vicinorum nostrorum aduersitatibus afficiamur, & eis condoleamus.

14. In omnibus aduersitatibus sæpe animo recolamus consolationem hanc, quòd alia vita restet, in qua pii rursus conuenient, & in æterno gaudio cum Christo viuent.

15. Obediant liberi parentibus, quia Christus hîc resuscitatum filium rursus matris imperio subijcit.

16. Miracula Christi cum stupore audiamus & miremur, iisque in nobis fidem exuscitemus.

17. Beneficia Christi grato corde & ore prædicemus.

18. Deploremus cordis nostri tarditatem, cùm omnium miraculorum Christi recitatio, nobis non extorquere possit tale gaudium, quale in hac turba viso tantùm vno miraculo cernitur.

DETESTATIONES X.

1. Fastidij & contemptus verbi. Plerique enim nunc non sequuntur, sed potius fugiunt

unt Christum & eius Euangelium.

2. Non abijciamus spem, nec inuocare Deum cessemus, si quando moram facit. Audimus enim hîc Christum etiam expectasse, donec efferebatur viduæ filius.

3. Non polliceantur sibi iuuenes certam vitæ suæ metam, & annos multos, multò minus verò pœnitentiam suam in senectam vsq; differant. Incerta enim & fallax est vita humana, & mors non minus iuuenibus quam senibus insidiatur.

4. Parentes non differant piam liberorum institutionem & educationem, neq; cupiditatibus eorum indulgeant. Sæpissimè enim citius opinione moriuntur.

5. Non glorientur parentes de liberorum copia, nec nimiam in eis fiduciam ponant. Pleriq; enim ex suis plures in illam vitã præmittunt, quam post se in hac relinquunt.

6. Non desolemus aut negligamus afflictos vicinos nostros.

7. Defunctos nostros non lugeamus immodicè, & sine spe resurrectionis, vt Ethnici faciebant.

8. Non rideamus Christi de futura vita conciones, sed stemus & attento animo eas audiamus, vt faciebant illi, qui mortuum adolescentem efferebant.

9. Non dubitemus de certitudine nostræ

resurrectionis, cùm hic fidei articulus toties à Christo verbis & factis comprobatus sit.
10. Non nimium formidemus mortem, quam Christus vnico verbo repellere & fugare potest.

DOMINICA XVII. TRINITATIS, Euangelium Luc. 14.

In illo tempore, cum intraret Iesus in &c.

QVÆSTIONES SIMPLICES XIII.

1. DE conuiuiorum caussis, forma & fine, hoc est, cur, quibus, quomodo & ad quid sint paranda conuiuia.
2. De odio mundi & diaboli aduersus Christum.
3. De malitia & astutia Pharisæorum.
4. De diuina Christi sapientia, qua malas Pharisæorum cogitationes præuidet.
5. De calamitatibus variis generis humani, & earum causis.
6. De causis & finibus morborum in genere.
7. De Hydrope.
8. De Sabbato.
9. De vero intellectu tertii præcepti.
10. De Pharisæorum cæcitate & ignorantia.

11. De Christi philanthropia & bonitate.
12. De miraculis.
13. De discrimine legis ceremonialis & moralis.

CONIVNCTAE VIII.

1. An liceat die Sabbati parare & visitare conuiuia?
2. An & quatenus liceat Ecclesiæ ministris conuersari cum peccatoribus?
3. An præceptum de Sabbato datum Iudęis, nos etiam secundum literam obliget?
4. An die Sabbati sine discrimine omnes labores sint prohibiti?
5. An necessitas excuset violationem Sabbati?
6. An Christus sanans hydropicum fecerit contra tertium præceptum?
7. Quòd Christus sit Dominus legis & Sabbati.
8. Quòd Christus sit verus & omnipotens Deus, omnesque morbos solo verbo curare possit.

ADHORTATIONES XV.

1. Ministri Ecclesiæ quærant ouem perditam omnibus, quibus possunt, modis, nec se vel malitiam, vel ingratitudinem hominum absterrere sinant.

2. Ad ſobrietatem & temperantiam in cibo & potu. Ideo enim ſcriptura Chriſti & omnium piorum conuiuia, manducationem panis vocat, vt ſobrietatem nobis commendet.
3. Sicut Chriſtus inter manducandum non negligit hydropicum, ita nos læto tempore recordemur pauperis.
4. Sabbatum eo modo, quo Deus præcepit ſanctificemus.
5. Opera charitatis non impedientia cultum diuinum, ipſo etiam ſabbato faciamus, præſertim proximi neceſſitate hoc exigente.
6. Cibo & potu ſic vtamur, ne morbos nobis accerſamus.
7. In morbis confugiamus ad medicū Chriſtum. Cùm enim hydropicum, qui ſine dubio ſua ſibi intemperantia hunc morbū attraxerat, ſanauerit, non dubitemus, ipſum nobis etiam opitulaturum.
8. Afflictos conſolemur & iuuemus.
9. Humiliemus nos ſub potenti manu Dei. Humilibus enim dat gratiam.
10. Honore alius alium præueniat. Qui enim ſeſe humiliat, exaltabitur.
11. In conuiuiis fiant omnia modeſtè & ordine iuſto.
12. Colloquamur etiam de rebus neceſſariis, honeſtis & vtilibus.
13. Vt alibi, ita etiam in conuiuiis ciuilitatem

tem & decorum obseruemus.
14. Facturi conuiuium inuitemus pauperes.
15. Maneamus intra metas vocationis & sortem nostra contenti, nos exaltantes nosmetipsos deijciamus cum ignominia.

DETESTATIONES XII.

1. Non dolosè obseruemus, aut insidiosè circumuenire conemur viros bonos. Dum enim hic Pharisæi Christum obseruant, ab eodem confunduntur, iuxta illud: Aduersus Dominum non est consilium.
2. Mundi & diaboli insidias non nimium metuamus. Post enim nos ex his omnibus liberare Dominus.
3. Non plus bouem aut asinum, quam proximum diligamus.
4. Propter hominum calumnias & malenolentiam non cessemus benefacere afflictis.
5. Non cogitemus mala animo nostro. Christus enim videt & dispergit impios mente cordis sui.
6. Ebrietatem & intemperantiam cupiscentes sanitatis & salutis nostræ fugiamus.
7. Interrogati non dolosè taceamus, sed animi nostri sententiam candidè exponamus.
8. Proximo non denegemus die Sabbati opera dilectionis, quæ sine peccato præstari possunt.

9. Non tamen etiam opinemur omnes labores in ſabbato eſſe conceſſos, vt multi nunc prorſus nullam ſabbati & dierum Feſtorum rationem habent.

10. Nihil faciamus per contentionem & inanem gloriam, ſed humilitate animi quiſque alium ſe præſtantiorem exiſtimet.

11. In conuiuijs non eligamus primum accubitum.

12. Ambitionem & ſuperbiam tàm corporalem quam ſpiritualem fugiamus.

DOMINICA XVIII. TRINITATIS, Euangelium Matth. 22.

In illo tempore Phariſæi audientes, quod Ieſus &c.

QVÆSTIONES SIMPLICES XX.

1. DE conſenſu impiorum aduerſus Chriſtum.
2. De Eccleſia.
3. De hoſtibus Eccleſiæ.
4. De Lege.
5. De obedientia legis.
6. De mandato magno in lege.
7. De cohærentia & collatione præceptorum Decalogi.

8. De

8. De iustitia legis.
9. De discrimine legis & Euangelij.
10. De consensu legis & Prophetarum.
11. De summa legis.
12. De persona Messiæ.
13. De officio Messiæ.
14. De iustitia fidei.
15. De inimicis Messiæ.
16. De victoria Messiæ.
17. De regno Messiæ.
18. De dextra Dei.
19. De sessione ad dextram Dei.
20. De prophetiis.

CONIVNCTAE XVI.

1. Quòd omnibus seculis diabolus & mundus sese opposuerint veræ Ecclesiæ, & vi & dolo eam impugnauerint.
2. An lex tantùm externam obedientiam requirat, sicut Pharisæi opinabantur?
3. An homo possit perfectè præstare eam, quam lex requirit obedientiam?
4. An non motus interni, pugnantes cum lege Dei, sint habendi pro peccato?
5. An, quomodo & cur secunda tabula sit similis primæ.
6. Quòd omnia præcepta Decalogi æquè nos ad obedientiam obligent.
7. An operibus legis iustificemur?

8. Quòd doctrina legis non pugnet cum ſcriptis prophetarum & Euangelio.

9. Quòd Meſſiam patribus promiſſum, oportuerit eſſe verum Deum & hominem.

10. Quòd regnum Meſſiæ non ſit de hoc mundo, ſed ſpirituale & æternum.

11. Quòd Ieſus Chriſtus, filius Mariæ ſit ille ipſe Meſſias, de quo Dauid in Pſalmo hîc citato locutus eſt.

12. Quòd ſolus Chriſtus nos liberet ex manu ſpiritualium inimicorum noſtrorum.

13. Quòd doctrina noui teſtamenti non ſit diuerſa ab ea, quæ in ſcriptis Prophetarum & Pſalmis continetur.

14. Quòd Dauid & alij ſancti Dei homines non ex voluntate humana, ſed ex Spiritus ſancti inſpiratione locuti ſint.

15. Quòd Dauid & alij ſancti Patriarchæ aliam & meliorem habuerint Meſſiæ cognitionem, quam excœcati nunc Iudæi habent.

16. Quòd in vna diuina eſſentia pater & filius ſint duæ diſtinctæ perſonæ.

ADHORTATIONES XIIII.

1. Sicut hîc impij in oppugnando Chriſto communicant operas & conſilia: ſic pijs omnibus ſit commune ſtudium propagandi & defendendi ſanam doctrinam.

2. De capitibus doctrinæ nobis ignotis inqui-

quiramus quidem, sed studio discendi, non cauillandi.

3. Conemur etiam præstare legi obedientiam internam & externam.

4. Deum diligamus ex toto corde, tota anima & mente.

5. Proximum verò sicut nos ipsos.

6. Ministri Ecclesiæ studeant rectè secare verbum, & corpus doctrinæ certis membris includant, vt Christus hic summam legis paucissimis verbis complectitur.

7. Ex lege agnoscamus peccata.

8. Agnitis peccatis inquiramus de Christo, & fide in ipsum omnes nostros hostes vincamus.

9. Ministri Ecclesiæ audiant subinde auditores suos, & obseruent num veram Christi cognitionem habeant.

10. Contradicentibus obturemus os, non importunis clamoribus, sed firmis & certis scripturæ testimoniis.

11. Christi agnitionem etiam ex veteris testamenti libris petamus.

12. In tentationibus grauissimis hac nos consolatione erigamus, quòd omnes inimici nostri ad scabellum pedum Christi positi sunt.

13. In omni necessitate accedamus cum fiducia ad thronum gratiæ. Sedet enim Christus ad dextram Patris, & interpellat pro nobis.

14. Li-

14. Liberi ſubiiciant ſe cum omni reuerentia ſuis parentibus. Non enim vult Chriſtus filium eſſe Dominum patris ſui.

DETESTATIONES XI.

1. Non offendamur multitudine contradicentium Chriſto & Euangelio eius. Sic enim ab initio ſemper fuit.

2. Non turbemur nimium, ſi videmus hodie adhuc multos magnos potentes & ſapientes homines contra Eccleſiam inſurgere. Poteſt enim Chriſtus hodie adhuc os eorum ſic obturare, vt confuſi non quicquam interrogare audeant.

3. Non ſinamus nos decipere blanditiis verborum, quibus tentantes vtuntur. Vocat enim etiam hic legiſperitus Chriſtum magiſtrum, cùm tamen diſcipulus eius eſſe renuat.

4. Non opponamus nos manifeſtæ veritati. Sequitur enim tandem contemptum verbi denſa excæcatio, vt in Phariſæis videtur.

5. Non tentemus Deum. Incidit enim in foueam, quam facit impius.

6. Non gloriemur de legis impletione, propter qualemcunq; externam obedientiam.

7. Non habeamus delectum inter præcepta aut opera Decalogi. Totius enim legis debitores ſumus.

8. In libris veteris & noui Teſtamenti non quæ-

quæramus discrepantiam aut contradictiones. Summus enim eorum consensus est.

9. Non putemus ad salutem satis esse solam legis cognitionem sine doctrina Euangelij: sed vt Christus hoc loco facit, semper vnam cum altera coniungamus.

10. Non simus securi ideo, quòd hostes nostri ad scabellum pedum Christi positi sunt. Circumit enim diabolus, vt Leo rugiens & quærit quem deuoret.

11. Non conueniamus cum impiis in vnum aduersus Christum, quia omnes eius hostes tandem confunduntur, vt hîc dicitur.

DOMINICA XIX. TRINITATIS, Euangel. Matth. 9.

In illo tempore ascendens Iesus in nauiculam &c.

QVÆSTIONES SIMPLICES XVIII.

1. DE itineribus Christi.

2. De Capernaum, quare sit dicta ciuitas Christi.

3. De morbis & causis eorum.

4. De Paralysi & eius allegoria. Peccati enim natura in hoc morbo egregiè exprimitur.

5. De fide aliena & eius effectibus.

6. De

6. De peccato & fructibus eius.
7. De remissione peccatorum, vnde sit.
8. Cur Christus antequam sanat paralyticum, peccata ei remittat.
9. De philanthropia Christi.
10. De abundantia gratiæ Christi, quia plus dat huic paralytico, quam petitur.
11. De blasphemiis in Deum, quænam sint.
12. De ministerio verbi.
13. De potestate clauium.
14. De discrimine veteris & noui testamenti.
15. De potentia & potestate Christi.
16. De malitia & cœcitate legisperitorum, qui neque verbis neque factis Christi mouentur.
17. De miraculis.
18. De efficacia verborum Christi.

CONIVNCTAE XIII.

1. An ex intercessione horum baiulorum paralytici, sanctorum mortuorum intercessio & inuocatio probari possit, vt Papistæ contendunt?
2. An fides aliena nobis prodesse possit ad salutem & iustitiam veram coram Deo?
3. Quòd Christus sit scrutator cordium, quia videt gestantium fidem & legisperitorum cogitationes malas.

4. Quòd

4. Quòd peccatum sit radix & principalis causa omnium morborum.

5. Quòd Christus verè tollat peccatum, quia effectus eius, scilicet morbos tollit.

6. An oblationes & victimæ veteris testamenti meruerint remissionem peccatorum, vt Iudæi putabant?

7. An sit blasphemia in Deum, si homo homini remissionem peccatorum annunciat?

8. An Ecclesia habeat potestatem remittendi peccata?

9. Vtrum sit facilius dicere: dimittuntur tibi peccata tua: an dicere: Surge & ambula?

10. An in Ecclesia tam priuata quam publica absolutio retineri debeat?

11. Quòd Christus sit verus Deus & vnico verbo ex omnibus nos liberare malis possit.

12. An & cur sancti etiam post acceptam remissionem peccatorum sint subiecti cruci, sicut hic in gestatione grabbati significatur.

13. Quòd Deus semper etiam in medio inimicorum suorum sibi cœtum aliquem, & vera Ecclesiæ membra conseruet & colligat.

ADHORTATIONES XVI.

1. Ad assiduitatem in ministerio.

2. Suscipiamus fide Christũ, dum nobiscum est, quia enim Capernaum, quæ hic Ciuitas

tas eius dicitur, facere hoc noluit, ad infernum vsque detrusa est, vt Matth. 11. capite dicitur.

3. Ministri Ecclesiæ & omnes homines, capiant & obseruent occasiones benefaciendi aliis, sicut Christum hîc & alias semper fecisse legimus.

4. Afflictos & infirmos adferamus ad Christum, saltem precibus, si alia ratione non possumus.

5. Oremus autem pro alijs non ex consuetudine, sed in fide vera. Respicit enim fidem alienam.

6. Cibo & potu vtamur temperanter. Paralysis enim & plerique alij morbi ex intemperantia oriuntur.

7. Morbos & omnes alias calamitates agnoscamus ex peccato originem suam trahere, & propterea in morbis primùm reconciliemur cum Deo, postea demum accersamus medicum.

8. Christum corporis & animæ nostræ felicissimum medicum esse credamus, & opem eius imploremus.

9. Inuocemus autem Christum cum magna fiducia. Quia hîc paralytico plus tribuit quam eius nomine petitur.

10. In conscientiæ turbationibus vtamur absolutionis remedio & consolatione.

11. Mi-

11. Ministri Ecclesiæ vtrunque faciant, consolentur afflictos, & iusta etiam seueritate reprehendant contumaces.

12. Ministerij nostri dignitatem tueamur & propugnemus.

13. Feramus crucem, quam Christus post donatam gratiam nobis imponit.

14. Vocati à Christo surgamus à peccatis, & ipsum sequamur.

15. Christi miracula miremur & prædicemus.

16. Agnoscamus & grato animo prædicemus potestatem remittendi peccata, quam Christus Ecclesiæ suæ dedit.

DETESTATIONES XII.

1. Non grauemur inseruire proximo etiam cum aliqua difficultate.

2. Non negligamus decumbentes & infirmos.

3. Turbatas conscientias non magis turbemus, sed pia consolatione erigamus.

4. Non desperemus in peccatis nostris. Vocat enim Christus hunc paralyticum filium suum, & peccata ei remittit.

5. Non malitiosè deprauemus aut calumniemur rectè dicta & facta, vt Iudæi Christo faciebant.

6. Non cogitemus mala in corde nostro.

Christus enim videt & iudicat cordis cogitationes.

7. Non peccemus cum spe impunitatis. Christus enim etiam latcana obseruat.

8. Non metuamus hostium consilia. Christus enim videre, inuertere & infringere ea potest.

9. Non negligamus, multò minus conuitiemur datam Ecclesiæ potestatem.

10. Non etiam rideamus fulmen excommunicationis, quod efficaciam suam non minus quam absolutio habet.

11. Non abutamur gratia absolutionis ad licentiam peccandi.

12. Acceptorum à Deo beneficiorum non mox obliuiscamur.

DOMINICA XX. TRINITATIS, Euangel. Matth. 22.

Et respondens Iesus, dixit iterum in parabolis &c.

QVÆSTIONES SIMPLICES XXIII.

1. DE parabolis & vsu earum.
2. De regno Dei.
3. De rege.
4. De filio regis.

5. De

5. De Sponsa & nuptiis huius filij.
6. De inuitatis ad nuptias.
7. De nuptiis in genere.
8. De seruis Regis, & fine ministerij Euangelici.
9. De misericórdia Dei eligentis nos in filio.
10. De filio Dei, & eius officio.
11. De bonitate Dei, quæ apparet in hoc, quòd per seruos suos etiam ingratum mundum omnibus seculis ad pœnitentiam vocat.
12. De cæcitate humana.
13. De contemptu gratiæ Dei.
14. De caussis huius contemptus.
15. De tyrannis & persecutoribus fidelium ministrorum, quinam sint.
16. De ira Dei.
17. De pœnis contemptus verbi.
18. De Ecclesia, vnde & ex quib⁹ colligatur.
19. De veste nuptiali.
20. De conscientiæ reatu, qui multos coram Deo obmutescere facit.
21. De iudicio Dei.
22. De inferno & pœnis infernalibus.
23. De vocatione & electione ad vitam æternam.

CONIVNCTAE XXV.

1. Quòd Deus omnibus temporibus ex genere humano sibi ecclesiam collegerit.
2. Quòd ex gratia, & non ex merito vllo.

omnium seculorum homines ad regnum Dei vocati & electi sint.

3. An debeant nuptiæ singulari aliqua solennitate celebrari?

4. An Christus hac parabola immodicum in nuptiis apparatum approbet?

5. Quòd Christus sua morte parauerit omnia ad vitam æternam necessaria, nec quicquam à nobis superaddi possit, vt Papistæ somniant.

6. Quòd Deus velit omnes homines saluos fieri.

7. Quòd extra cœtum vocatorum non sint electi. Quos enim Deus elegit eosdem & vocauit.

8. Quòd Deus per ministerium verbi velit esse efficax.

9. An liceat colere agrum, tenere proprium & negotiari?

10. Quòd perditio eorum, qui damnantur, non sit ex Deo.

11. Quòd omnibus sæculis contemptus gratiæ diuinæ fuerit vsitatissimus.

12. Quòd contemptum verbi sequantur bella, vastationes, & similes pœnæ plures.

13. An bella sint ex Deo?

14. An Deus incendia, vastationes, prædas & alia belli mala approbet?

15. An & quatenus tyranni sint serui & flagellum Dei?

16. An

16. An Deus vocans nos ad societatem regni sui, respiciat nostram dignitatem, cum hic dicatur: Inuitati non erant digni?

17. Quòd etiam gentes ad Ecclesiam Christi pertineant.

18. Quòd in Ecclesia bonis semper multi sint immixti mali.

19. An placeamus Deo propter opera nostra, an verò propter vestem, qua à Christo donamur?

20. Quòd Deus exigat etiam cordis motus, nec contentus sit externa hypocrisi.

21. An Deus in illo die secundum opera nostra iudicaturus sit?

22. Quòd Deus non sit respector personarũ.

23. Quòd Deus ad finem vsq; in mundo sibi aliquam colligere & conseruare velit Ecclesiam.

24. Quòd in die extrema tandem sit futura totalis separatio impiorum à piis.

25. An Deus tantùm secundum reuelatam in verbo voluntatem an verò aliam arcanam, aliquos ad vitam æternam eligat, alios verò damnet?

ADHORTATIONES XIII.

1. Doctores Ecclesiæ accommodent sese ad captum auditorum & simplicem veritatem simpliciter proponant.

2. Agnoſcamus immenſam Dei miſericordiam, & grato animo eam prædicemus.

3. Chriſtum credamus eſſe ſponſum noſtrum, qui ex gratia nos elegit, & triſte illud in paradyſo factum diuortium rurſus expiauit.

4. Simus etiam Chriſto ſponſo noſtro grati, & obedientes, ne denuò ab ipſo repellamur.

5. Vocantes nos ad regnum Dei, audiamus & ſequamur.

6. Miniſtri Eccleſiæ ſint in ſuo officio fideles, & multos Chriſto adducere ſtudeant.

7. Manſuri in iudicio Dei, nitamur non noſtro, ſed ſolo Chriſti merito. In ipſo enim omnia nobis parata ſunt.

8. Euangelium Chriſti vniuerſaliter omnibus hominibus proponatur.

9. Obſeruent etiam miniſtri Eccleſiæ, quos & quales habeant auditores, &, vbi opus eſt, iuſta ſeueritate vtantur.

10. Veſtem nuptialem induamus, hoc eſt, ſalutarem pœnitentiam agamus.

11. Iram Dei & pœnas futuras conſideremus & metuamus.

12. Integritatem conſcientiæ cuſtodiamus, ne interrogati à Deo obmuteſcamus.

13. Volentes eligi ad vitam æternam cœtui vocatorum nos coniungamus.

DE-

DETESTATIONES XVI.

1. Non tribuamus noſtris operibus, quæ vno Chriſti merito debentur.
2. Non negligamus vocem eorum, qui ad pœnitentiam nos vocant.
3. Gratiã Dei & bona æterna non poſtponamus mundanis, vt inuitati iſti fecerunt.
4. Docentes in Eccleſia non afficiamus probris aut ignominia. Deus enim videt, & punit.
5. Auaritiam abſtrahentem nos à ſtudio verbi fugiamus.
6. Non rideamus comminationes diuinas, nec longanimitate Dei abutamur. Tandẽ. n. Deus in furore iræ ſuæ punit impœnitentes.
7. Contemptum aut perſecutionem verbi non putemus leuia eſſe peccata. Propter hæc enim ſinit Deus totas deleri & vaſtari prouincias.
8. Fideles Eccleſiæ miniſtri propter ingratitudinem, odia & perſecutiones mundi non ceſſent ab officijs.
9. Non immiſceamus nos cœtui vocatorum ſine ſalutari & vera pœnitentia. Diligenter enim Deus inuitatos ſuos obſeruat.
10. Non opinemur ſufficere ad ſalutem tantum externam ſanctimoniæ ſimulationem. Odit enim & reijcit Deus eos, qui ore tantùm ei appropinquant.
11. Non imaginemur nobis perfectam iuſtitiam. Deo enim exigente rationẽ obmutescit omnis caro.

12. Vocati ad Ecclesiam non simus securi, sed videat, qui stat, ne cadat.
13. Non offendamur humili Ecclesiæ specie. Omnibus enim temporibus multi fuerunt vocati, pauci verò electi.
14. Non rideamus pœnas inferni, quæ à Christo hîc atrocibus verbis describuntur.
15. Non excludamus nos à regno Dei. Vult enim Deus vocari omnes.
16. Non disputemus de prædestinatione aut electione diuina sine verbo Dei. Quos enim Deus elegit, eosdem etiam vocauit.

DOMINICA XXI. TRINITATIS, Euangelium Ioh. 4.

In illo tempore erat quidam regulus &c.

QVÆSTIONES SIMPLICES XV.

1. De aulis.
2. De aulicis.
3. De finibus & effectibus crucis.
4. De amore parentum erga liberos.
5. De vera & ardenti inuocatione.
6. De caussis fidei.
7. De causis impulsiuis crucis & calamitatum.

8. De vsu & finibus miraculorum.
9. De cæcitate humana.
10. De perseuerantia in fide & precatione.
11. De Christi diuina potentia.
12. De efficacia verborum Christi.
13. De dominis.
14. De seruis.
15. De officio pii patrisfamilias.

CONIVNCTAE XIIII.

1. Quòd Deus sine respectu personarum puniat peccata tàm in summis quàm in imis.
2. Quòd mors non minus rapiat iuuenes quàm senes.
3. Quòd etiam gentes ad regnum Dei pertineant.
4. Quòd Deus ex omnibus populis, statibus & ætatibus hominum sibi Ecclesiam colligat.
5. Quòd etiam in aulis aliqui, quamuis pauci, reperiantur pij.
6. Quòd fides ex auditu sit.
7. Quòd signis & miraculis fides excitetur & confirmetur.
8. Quòd Deus corripiens nos non quærat perditionem, sed emendationem nostram.
9. Quòd fides habeat sua incrementa, & subinde ex verbo & miraculis maiores vires accipiat.

10. Quòd vexatio det intellectum, & tribulatio patientiam, fidem & ſpem in nobis operetur.

11. Quòd ſecundum fidē noſtram fiat nobis.

12. An liceat inquirere de certitudine verborum Chriſti, cùm hic regulus interroget de hora, in qua filius conualuit?

13. An neceſſe ſit hodie adhuc fidem confirmari ſignis & miraculis nouis?

14. Quòd Chriſtus nō tollat politica officia.

ADHORTATIONES XXI.

1. Parentes adhibeant iuſtam diligentiam in educatione liberorum, ne inopinata mors imparatos abripiat.

2. Sint etiam iuuenes ſtudioſi pietatis & honeſtatis, ſeq; non minus quàm ſenes ad mortem piam præparent.

3. Audiamus Euangelium de Chriſto, & ex eo fidem in nobis confirmemus.

4. Aulici non minus quàm alij homines in perpetuo Dei timore ambulent.

5. In cruce confugiamus ad Chriſtum, & ſtatuamus eum ſine reſpectu perſonarum nos omnes exauditurum & adiuturum.

6. Parentes orent pro ſalute & incolumitate liberorum.

7. Liberi agnoſcant parentum curas & labores, & pro his omnib⁹ debitam gratitudinem præſtent.

8. Mi-

8. Ministri Ecclesiæ dicant veritatem intrepidè, tam aulicis quàm alijs.

9. Deploremus nostram oscitantiam, quæ nunc tanta est, vt plerique nec verbo nec signis amplius moueantur.

10. Absentem nunc Christum credamus nō minus posse nos exaudire & iuuare, quàm tunc, cum visibiliter in terris versaretur.

11. Euangelio tot nunc miraculis & signis confirmato credamus.

12. Plerasq; calamitates credamus etiam hoc nobis fine imponi, vt fides in nobis excitetur.

13. Credamus Christum etiam exiguam & modicam fidem non despicere.

14. In precatione & fide perseueremus.

15. Promissionibus diuinis simpliciter, & contra spem in spem credamus.

16. Serui afficiantur aduersitatibus dominorum suorum, & eas suo etiam loco mitigare studeant.

17. Gaudeamus cum gaudentibus.

18. Collata in nos Dei beneficia diligenter & probè consideremus.

19. Restitutionem pristinæ sanitatis agnoscamus nobis non casu, sed Dei beneficio cōtingere, & simus etiam pro ea grati.

20. Patresfamilias principaliter in hoc incumbant, vt credant cum tota sua familia.

21. Li-

21. Liberi & serui imitentur pij patrisfamilias exemplum, & sese ad Christum adduci patiantur.

DETESTATIONES XII.

1. Negligentiæ & indulgentiæ parentum in educatione liberorum.

2. Pernitiosæ securitatis, quæ vt in omnibus hominibus, ita maximè in iuuenibus animaduertitur.

3. Aulici non sint securi. Potest enim Deus tàm reguli, quàm rustici filium affligere, & qui verbo credere nolunt, signis & prodigiis tandem visitantur.

4. In aduersis non apud diabolum & eius organa, sed apud Christum auxilium quæramus.

5. In precatione nostra non præscribamus Christo locum aut tempus iuuandi.

6. Non petamus noua miracula, sed verbo & promissionibus diuinis credamus.

7. Potentes huius mundi non ægrè ferant, si quando propter peccata seuerius reprehenduntur.

8. Non murmuremus sub cruce. Ideò enim affligimur, vt credere discamus.

9. Non cessemus orare, si Christus moram facit, aut verbis durioribus nos dimittit.

10. Serui non exultét in calamitatibus dominorum suorum.

11. Non

11. Non dubitemus de veritate verborum Christi, etiamsi interdum rationi ignota proponuntur.

12. Miracula Christi non obiter audiamus, sed probè perpendamus, & fidem in nobis excitemus.

DOMINICA XXII. TRINITATIS, Euangel. Matth. 18.

Simile est regnum cœlorum homini regi &c.

QVÆSTIONES SIMPLICES XX.

1. DE regno Dei.
2. De iudicio in hoc regno.
3. De officio seruorum Dei.
4. De donis Dei, & ratione reddenda pro his donis, in hac & futura vita.
5. De lege & obedientia legi debita.
6. De imperfecta nostra obedientia, vel debitis nostris.
7. De peccatis.
8. De pœnis peccati, vel ira Dei aduersus peccatum.
9. De pœnitentia & eius partibus.
10. De doctrina Euangelij.
11. De misericordia Dei.

12. De

12. De gratuita remissione peccatorum.
13. De iustitia Euangelij.
14. De priuata absolutione.
15. De prauitate cordis humani abutentis gratia Dei.
16. De veris caussis hui⁹ abusus, & securitatis.
17. De collatione delictorum nostrorum in Deum cum delictis proximi.
18. De vindicta duplici licita & illicita.
19. De discrimine potestatis politicæ & Ecclesiasticæ.
20. De pœnis ingratitudinis & abusus gratiæ.

CONIVNCTAE XXIII.

1. An distinctio personarum, vt Dominorum & seruorum sit iuris diuini?
2. Quòd corã Deo omnes homines sint serui, & ipse solus Dominus omniũ creaturarũ.
3. Quòd omnes homines habeant sua dona, de quibus aliquando ratio reddenda erit Deo.
4. Quòd iudicium Dei sit vniuersale, & quod coram eo omnes homines tandem sistendi.
5. Quòd coram Deo nullus homo sit perfectè iustus, vel quòd nemo legi debitam obedientiam perfectè præstare possit.
6. An homines pro peccatis suis satisfacere, vel debitum suum soluere possint?
7. Quòd lex Dei omnes homines obliget vel ad obedientiam vel ad pœnam.

8. An

8. An iustificemur propriis meritis, an verò gratia Dei.
9. Quòd pœnam peccati nullus homo sustinere possit.
10. Quòd ad remissionem peccatorum non sit via breuior, quàm agnoscere peccata, & petere gratiam propter Christum.
11. An debeat homo præsumere & pollicerì integram debiti sui solutionem?
12. An liceat exigere à proximo debitum?
13. An liceat punire delicta, cum ad mutuam condonationem Christus hìc nos hortetur.
14. An & qualem liceat exercere vindictam.
15. An liceat vocare in ius? Item, defendere bonam famam, vitam, opes & alia?
16. An liceat apud superiores accusare eos, qui inclementer & scelerate cum proximo agere videntur?
17. Quòd gemitus & querelæ piorum certò perferantur ad Deum.
18. An peccatum semel remissum, secundò etiam rursus computari possit?
19. Quòd noua obedientia & bona opera ad veram & salutarè pœnitentiã sint necessaria.
20. Quòd cum eis, qui post acceptam gratiã ad vomitum redeunt, posteriora peiora fiant prioribus.
21. Quòd conuictos de sceleribus suis liceat incarcerare & durius punire.

22. An

22. An nostra condonatio mereatur remissionem peccatorum?

23. An ex inferno sit reditus? Vel an sit purgatorium, vt Papistæ nugantur?

ADHORTATIONES XVII.

1. Ad diligentiam & fidelitatem in officiis vocationis nostræ. Erit enim ratio reddenda Deo.

2. Ad veram peccatorum cognitionem ex doctrina legis.

3. Ad pœnitentiam.

4. Ad fiduciam in misericordiam Dei propter Christum nobis promissum.

5. Accessuri ad Deum & petituri veniam veniamur throno gratiæ Christo.

6. Ad nouam obedientiam.

7. Ad pium vsum gratiæ diuinæ.

8. Ad gratitudinem pro accepta gratia.

9. Patresfamilias & œconomi fideles attendant & diligenter obseruent, quomodo serui officium suum faciant.

10. Ad clementiam dominorum in seruos.

11. Serui vocati reddant rationem villicationis suæ.

12. Et si quid Dominis suis abstulerunt, restituant, si possint.

13. Qui habent à Deo mandatum, resistendi malo, exerceant iudicia iusta seueritate.

14. Ita

14. Ita tamen, vt accusatos prius accersant & audiant.

15. Afflicti & iniustè oppressi calamitate afficiamur, & si alia ratione non possumus, saltem precibus eum iuuemus.

16. Iniustos & sceleratos, postquam conuicti sunt, seuerè puniamus.

17. Ad mansuetudinem & condonationem delictorum proximi.

DETESTATIONES XVI.

1. Securitatis eorum, qui sine metu iræ & iudicij diuini officium suum negligenter faciunt.

2. Abusus donorum Dei.

3. Infideliratis seruorum, qui bona dominorum suorum dissipant.

4. Vocationem nostram ideò, quòd humilior nobis videtur, non despiciamus, multò minus deseramus. Omnes enim Dei serui sumus.

5. Non abutamur longanimitate Dei ideò, quod diem rationis & iudicij differt.

6. Superbiæ spiritualis, qua multi inflati sibi perfectionem somniant, cum tamen coram Deo etiam iustus non sit innocens.

7. Duram legis comminationem non sinamus nos ad desperationem adigere. Remittit enim hîc Rex debita seruo suo, quem pau-

lò ante omnia vendere iusserat.

8. Peccata nostra neque negemus, neq; excusemus, sed simpliciter fateamur & veniam petamus.

9. Præsumptionis humanæ, quæ sæpè impossibilem solutionem promittit.

10. Ingratitudinis pro gratia Dei.

11. Abusus misericordiæ diuinæ, qua accepta, plerique deteriores fiunt.

12. Inclementiæ erga proximum.

13. Excessus in pœnis. Summum enim ius sæpè summa iniuria est.

14. Superiores non dissimulent querelas de hominum flagitiis.

15. Non simus vindictæ iniustæ cupidi.

16. Non simulemus condonationem ore tantùm, sed de cordibus nostris remittamus proximo debita sua.

DOMINICA XXIII. TRInitatis, Euangelium Matth. 22.

Tunc abeuntes Pharisæi &c.

QVÆSTIONES SIMPLICES XXV.

1. DE peruersitate & astutia cordis humani.

2. De odio mundi aduersus Christum.

3. De natura pseudoprophetarum, qui de-

sticuti

ſtituti ſcripturæ ſuffragio, ad præſidia humana confugiunt, & ſub blandis verbis amarum fel tegunt.

4. De ſapientia carnali.

5. De conſiliis impiorum aduerſus Chriſtum.

6. De veritate & innocentia Chriſti, quæ etiam ab inimicis comprobatur.

7. De fidelibus Eccleſiæ miniſtris quales eſſe debeant.

8. De via veritatis.

9. De diſcrimine promiſſionum Dei ſpiritualium & corporalium.

10. De libertate duplici, corporali & ſpirituali.

11. De cenſu templi, eius cauſſis & finibus.

12. De magiſtratu.

13. De fine & vſu tributorum.

14. De omnipotentia Chriſti, qua cordis arcana ſcrutatur.

15. Quid ſit tentare Chriſtum.

16. De denario & eius ſuperſcriptione, quæ olim ara & virga Aaronis erant, poſtea verò in Cæſaris imaginem mutata ſunt.

17. De regno Dei.

18. De regno mundi & diſcrimine eorundē.

19. Quid ſit dandum Cæſari.

20. Quid verò Deo.

21. De diſcrimine inter obedientiā præſtandā

Deo, & aliam quæ magistratui debetur.
22. De discrimine Ecclesiasticæ & politicæ potestatis.
23. De officio magistratus.
24. De cultu Dei.
25. De irritis conatibus impiorum & infelicitate consiliorum aduersus Christum.

CONIVNCTAE XVII.

1. Quòd diabolus & mundus omnibus seculis vi & dolo oppugnauerint Christum.
2. Quòd non rarò acerrimi alias hostes soleant conuenire aduersus Christum in vnum.
3. Quòd Christus sit promissus Messias. Siquidem aduentus eius in idipsum tempus incidit, quo sceptrum à Iuda ablatum erat.
4. An & quibus conditionibus Iudæis libertas à Deo promissa fuerit?
5. An magistratus politicus sit ordinatio Dei?
6. An census templi fuerit dandus Cæsari?
7. An Iudæi armis repetere censum & recuperare libertatem amissam debuerint?
8. An & quatenus improbo magistratui obedientia debeatur?
9. An rectè faciat magistratus rapiens ad se bona Ecclesiastica, vel reditus ad pios vsus destinatos?

10. An

10. An omnia quæ magistratus exigit, sint danda?

11. Quòd magis sit obediendum Deo, quàm hominibus, & deneganda magistratui obedientia, quæ cum voluntate Dei pugnat.

12. Quòd Christus sit verus Deus scrutans hominum corda & confundens impiorum astuta consilia.

13. Quòd amissio libertatis, immodica onera & exactiones nimiæ magistratus, sint pœnæ peccatorum.

14. Quòd ideò affligamur, vt demus Deo sua, id est, vt salutarem pœnitentiam agamus.

15. An & quando vim vi repellere liceat?

16. Quòd tributa necessaria magistratui soluenda sint.

17. Quòd contrà Dominum non valeat vllum consilium, sapientia, aut potentia. Incidunt enim hìc impij in foueam, quam fecerunt.

ADHORTATIONES XIIII.

1. Ad taciturnitatem & circumspectionem in sermone. Cum enim nos alia ratione aduersarij opprimere nequeunt, saltem in verbis nos capere conantur.

2. Cum inimicis nostris reconciliemur, & conueniamus, sed non aduersus Christum.

3. Ministri Ecclesiæ viam Domini in veritate fideliter doceant.

4. Et officium ſuum ſine reſpectu perſonarum faciant.

5. Ad ſtudiũ ſimplicitatis. In omnibus enim negotiis cum ore cor conſentire debet.

6. Quæ ignoramus, ab aliis quæramus, ſed ſine ſtudio tentandi.

7. Exemplo Chriſti etiam aduerſarios ſalutari doctrina inſtituamus, ita tamen, vt ſimul etiam eorum peruerſitatem iuſta ſeueritate taxemus.

8. Confutaturi aduerſarios, vtamur fundamentis firmis, non conuitiis & calumnijs.

9. Magiſtratui in rebus licitis obedientiam præſtemus.

10. Sit etiam magiſtratus contentus ſuo.

11. Quæ Dei ſunt, in primis ei tribuamus.

12. Pœnas peccati patienter feramus, & mitigationem à Deo petamus.

13. Doctores Eccleſiæ defendant dignitatem politici magiſtratus, & ſubditos ad debitam obedientiam hortentur.

14. Chriſti ſapientiam & potentiam admiremur & reuereamur.

DETESTATIONES XVI.

1. Ingratitudinis & peruerſitatis humanæ, quæ læpiſſimè pro ſalutaribus admonitionibus malã gratiam reddit. Sicut hoc loco Phariſæi Chriſto rectè monenti inſidias ſtruunt.

2. Non

2. Non offendamur, si hodiè adhuc præcipuos in mundo aduersus Christum consultare videmus.

3. Aliorum sermones non captiosè obseruemus.

4. Serui non obtemperent dominis suis mandantibus contraria mandatis diuinis.

5. Domini non imponant seruis, quæ bona conscientia fieri nequeunt.

6. Hypocrisin, quæ aliud loquitur, aliud verò sentit, execremur & fugiamus.

7. Verbis dolosis & blandis non decipiamur, nec in viam iniquitatis pertrahi nos sinamus.

8. Consilia seditiosa neque iuuemus neque approbemus.

9. A quæstionibus subdolis abstineamus. Illaqueantur enim impij tandem in sermonibus suis.

10. Impiorum malitiam non dissimulemus, sed pro ratione officij seuerè taxemus.

11. Id aduersitatibus non Deo, sed nobis & peccatis nostris irascamur.

12. Magistratus non oneret immodicis exactionibus subditos.

13. Deum non tentemus.

14. Quæ Dei sunt, non demus magistratui.

15. Nec hominib. magis, quã Deo obediam⁹.

16. Quæ salua & integra conscientia præstari possunt, etiam improbo magistratui non denegemus.

DOMINICA XXIIII. TRInitatis, Euangelium Matth. 9.

Hæc cum illis loqueretur, ecce primas quidam venit &c.

QVÆSTIONES SIMPLICES XXIIII.

1. DE Synagogis, quales fuerint, & quare in populo Iudaico conseruatæ & institutæ.
2. De Archisynagogi officio.
3. De scholis in genere.
4. De caussis & finibus morborum.
5. De effectibus crucis.
6. De incrementis & lucta fidei.
7. De effectibus fidei alienæ.
8. De inuocatione.
9. De discrimine petitionis rerum corporalium & spiritualium.
10. De facilitate & bonitate Christi.
11. De calamitatibus sexus muliebris, quas peculiares præ viris habet.
12. De caussis moræ, quam Deus inuocatus nonnunquam facere solet.
13. De effectibus veræ fidei.
14. De miraculis & diuina potentia Christi.
15. De efficacia verborum Christi.
16. De abrogatione legis, quia CHRISTVS immundam mundat & sanat.

17. De

17. De luctu.
18. De diuersis sepulturæ ceremoniis.
19. De forma & aspectu mortis in oculis Christi & nostris.
20. De somno piorum qualis sit.
21. De veris consolationibus opponendis horroribus mortis.
22. De incredulitate humana vnde sit.
23. De resurrectione carnis.
24. De vita æterna.

CONIVNCTAE XVII.

1. Cur Deus in populo Iudaico vnicum tantum templum, plures verò synagogas esse voluerit?
2. Quòd scholæ sint seminaria Ecclesiæ.
3. An & quantum fides aliena prosit?
4. Quòd Deus velit perpetuò conseruari in genere humano scripta prophetica. Ad hoc enim synagogæ destinatæ erant, vt in eis oracula prophetarum euoluerentur.
5. An necesse fuerit Christum accedere defunctam Iairi filiam, & an non absens eam etiam excitare potuisset?
6. An liceat vti opera medicorum, cum tot annis apud hanc mulierculam nihil effecisse dicantur?
7. An, quibus, & quomodo vtamur mediis in morbis?
8. An mulier hoc attactu fimbriæ Christi sanata sit?

9. Quid & quomodo hæc inter se differant & conueniant, quod mulier dicit: si tetigero fimbriam vestimenti eius, salua ero, Euangelistæ verò hoc ipsum non fimbriæ vestimenti, sed virtuti exeunti à Christo tribuunt. Christus autem neque fimbriæ neque virtuti procedenti, sed soli fidei mulieris asscribit, dicens: Fides tua te saluam fecit?

10. Cur Christus tantam fidei efficaciam tribuat?

11. An Papistæ ex hac historia rectè extruant suam opinionem de efficacia & dignitate, quã reliquijs sanctorum tribuunt. Vel an videre reliquias sanctorum idem sit, quod tangere fimbriam vestimenti Christi?

12. Quòd sola fide saluemur.

13. An liceat lugere & deflere mortuos?

14. An puella hæc verè mortua fuerit?

15. Ad quamnam vitam eam Christus resuscitauerit.

16. An necesse fuerit manu apprehendere filiolam defunctam?

17. Quòd Christus sit verus Deus, Dominus vitæ & mortis, & in illo die resuscitaturus omnes, qui sub terra nunc dormiunt.

ADHORTATIONES XIII.

1. In calamitatibus cõfugiamus ad Christum verum medicum, & opem eius imploremus.

2. Fir-

2. Firmiter autem credamus vtrunq;, & quod possit, & velit exaudire & liberare inuocantes.

3. Crucem eo etiam nomine moderatius feramus, quòd ad Christum nos impellit.

4. Inter Ecclesiæ & scholæ ministros, & politicum magistratum sit pia concordia: sicut in Capernaum Archisynagogus & Regulus Christi amici erant.

5. Sicut Christus sine respectu personarum omnes inuocantes audit, & iuuat: ita nostra etiam beneuolentia nota sit omnibus.

6. Exemplum pudicitiæ huius mulieris imitemur. Conscia enim sibi abominabilis sui morbi à tergo Christum accedit.

7. Sicut Christus infirmam Iairi fidem non despicit, ita nos infirmos in fide suscipiamus.

8. Turbatos & afflictos verbis amicis & dulcibus consolemur & erigamus.

9. Pro beneficiis Christi simus grati. Sicut hanc mulierculam in memoriam perpetuam huius miraculi, statuam erexisse Christo, & eandem nouo miraculo ornatam esse Eusebius scribit.

10. Funera mortuorum honorificè deducamus & sepeliamus.

11. Derisores eijciamus foras, nec sanctum canibus proijciamus.

12. In hora mortis simus fortes. Mortem enim

enim noſtram ſomnum eſſe Chriſtus hìc docet.

13. Miracula Chriſti miremur & prædicemus.

DETESTATIONES X.

1. Nec multitudine aduerſantium Chriſto, nec metu periculorum impediamur, quo minus ipſum accedamus vel confiteamur. Sicut hic Archiſynagogus neglecto Phariſæorum odio Chriſtum intrepidè accedit.

2. In inuocatione non præſcribamus Deo tempus aut modum iuuandi.

3. In præcatione non ſinamus nos abſterrere indignitatem noſtram, ſed moti miſericordia Dei & calamitate noſtra accedamus cum fiducia.

4. Non putemus vllum eſſe morbum, quem Chriſtus curare nequeat.

5. Non deficiat fides noſtra, ſi quando omnia humana præſidia nihil, aut parum efficiunt, & Deus etiam moram facit. Sicut hæc mulier per annos duodecim multa perpeſſa, tamen firmum ſpem de auxilio diuino habet.

6. Non vtamur mediis ſine fide & inuocatione Dei.

7. Humanis conſiliis non nimium tribuamus, nec curam medici ſine gratia diuina ſalutarem eſſe opinemur.

8. Non

8. Non omittamus preces, etiamsi Christus hodiè non omnes ita miraculosè iuuat.
9. Mortuos non immodicè lugeamus.
10. Nec promissiones Dei de vita futura & resuscitatione mortuorum rideamus.

DOMINICA XXV. POST Trinitatis, Euangelium Matth. 24.

Cum ergo videritis abominationem desolationis &c.

QVÆSTIONES SIMPLICES XXII.

1. DE loco sancto.
2. De abominatione desolationis stante in hoc loco.
3. De caussis excidij Ierosolymæ & vastationis totius Iudeæ.
4. De pœnis peccatorum præsentibus & æternis.
5. De ira Dei aduersus peccatum.
6. De oraculis prophetarum & eorum certitudine, caussis & finibus.
7. De pœnis idololatriæ.
8. De fuga periculorum duplici, licita & illicita.
9. De calamitatibus piorum.
10. De philanthropia & paterna Christi cura

pro prægnantibus & lactantibus.
11. De Sabbato.
12. De efficacia precationis.
13. De fine mundi.
14. De signis & calamitatibus præcessuris hunc finem.
15. De electis.
16. De sectis & sectarijs in genere.
17. De pseudoprophetis & pseudochristis.
18. De miraculis & signis pseudoprophetarũ.
19. De reditu filij Dei ad iudicium, & eius forma, & finibus.
20. De Ecclesia.
21. De capite Ecclesiæ Christo.
22. De coniunctione piorum cum Christo, vel de allegoria aquilæ & cadaueris, in qua multæ piorum proprietates exprimuntur, ex dicto: vbi cadauer, ibi aquilæ.

CONIVNCTAE XXVII.

1. Quòd pœnæ peccatorum non casu aut fortuito, sed certo Dei consilio vagentur per totum genus humanum.
2. An liceat in Ecclesia habere & retinere imagines sanctorum mortuorũ, cùm hic dicatur de abominatione stante in loco sancto.
3. Quòd Christus sit promissus Messias.
4. Et quòd præter ipsum non sit expectandus alius. Debuit enim Messias iuxta Michee, Haggæi

Haggæi & Danielis prophetias venire ante desolationem & deuastationem templi, & stante adhuc politia Mosaica.

5. Quòd non iustificemur ceremonijs legis, quæ cum politia Mosaica conciderunt.

6. Quòd ceremoniales & forenses leges Moysis nunc abrogatę sint, nec perpetuò durare debuerint, vt Iudæi somniant.

7. Quòd regnum Messiæ non sit de hoc mundo.

8. An & quatenus liceat fugere pericula?

9. Quòd deprauatio sanæ doctrinæ sit principalis causa excidij ciuitatum & regionum.

10. Quòd prophetarum oraculis semper & in omnibus correspondent euentus.

11. Quòd Ecclesia in hoc mundo non sit alligata vnico tantum loco, aut populo.

12. An peccent, qui in Sabbato extrema coacti necessitate, vel laborant vel pericula fugiant?

13. An excidium Hierosolymæ fuerit omniũ calamitatum in genere humano maxima?

14. Quòd Deus propter electos velit abbreuiare dies malos, & sæpè propter paucos iustos parcere multis iniustis.

15. Quòd Deus in pœnis vniuersalibus habeat curam & rationem suorum, nec vltra, quod ferre possint, quicquam eis imponere velit.

16. An

16. An dies mali, vel ex gratia, vel merito propter electos abbreuientur?

17. Quòd omnibus temporibus etiam in vera Ecclesia fuerint & mansuræ sint ad finem vsq; distractiones & dissensiones variæ.

18. An hæc sententia: si dixerint hic est Christus &c. pugnet cum verbis Christi: Hoc est corpus meum, & cum promissionibus: Ecce vobiscum sum vsque ad consummationem seculi &c. vt Sacramentarij contendunt?

19. An non Christus semper & vbique sit præsens?

20. An pseudoprophetæ & increduli vera possint facere miracula?

21. Quòd Christus in die extremo verè sit rediturus ad iudicium.

22. Quòd hic mundus non careat initio & fine, vt quidam ex Philosophis senserunt.

23. Quòd Christus cum suo Euangelio non sit alligandus certo loco.

24. Quòd prædicatio Euangelij ad omnes gentes pertineat.

25. Quod ad finem mundi vsque etiam in medijs imperiorum ruinis semper mansura sit aliqua Ecclesia.

26. An Ecclesia possit errare, vel an semel electi rursus excidere possint gratia Dei?

27. Quòd in die extremo pii congregabuntur cum Christo in æterna tabernacula.

AD-

ADHORTATIONES XV.

1. Auditores noſtros de venturis periculis & pœnis imminentibus ſæpè & tempeſtiuè admoneamus.
2. Puritatem doctrinæ & verum Dei cultum in Eccleſia tueamur.
3. Prophetarum oracula conſideratè & attentè legamus.
4. Admoniti de venturis malis agamus pœnitentiam.
5. In calamitatibus iuxta præceptum Chriſti mitigationem malorum à Deo petamus.
6. Et quæ bona conſcientia effugere mala poſſumus, fugiamus.
7. Prophetias de fine mundi non minus certas eſſe credamus, quàm eas, quæ de euerſione Hieroſolymæ extabant, & nunc completæ ſunt. Ideo enim hic Chriſtus vtraſque miſcet & coniungit, vt de veritate, & certitudine earum minus dubitemus.
8. Tempore malo condoleamus prægnantibus & lactantibus.
9. Pios in mundo veneremur & diligamus, quia propter ipſos multa mala mitigari certum eſt.
10. Sit in nobis pium & ardens ſtudium veritatis, ne in tanta opinionum varietate erroribus implicemur.

11. Petamus etiam à Deo nos ad finem vsque in veritate conseruari.

12. His Christi prædictiones de calamitatibus postremi temporis nos, qui in finem mundi incidimus, memori mente reponamus, & sæpè mente consideremus.

13. Omnes, qui contrariam Euangelio Christi doctrinam proponunt, pro Antichristis & pseudoprophetis habeamus.

14. Ad extremum diem nos rectè & piè præparemus.

15. Vocem Christi ad finem vsq; sequamur, vt etiam in vita futura tandem rursus cum ipso coniungamur.

DETESTATIONES XIX.

1. Idolatriam ceu pestem corporis, animæ, & omnium insuper bonorum execremur & fugiamus.

2. Non offendamur, si hodie adhuc videmus in agro Domini zizania crescere. Vult enim abominatio semper stare in loco sancto.

3. Comminationes diuinas non obiter tantùm, sed attentè & diligenter legamus.

4. Non imaginemur nobis perpetuam peccatorum nostrorum impunitatē. Cum enim Deus Iudæos ramos naturales abiecerit, certè non parcet præternaturalibus.

5. In calamitatibus non finamus preces nostras curis & solicitudine huius vitę vel impediri,

diri, vel prorsus nobis excuti, sicut hic dicitur: Qui est in tecto, non descendat aliquid tollere, sed orate ne &c.

6. Propter opes non subeamus corporis aut vitæ nostræ pericula.

7. Non tentemus Deum, nec temerè mala nobis attrahamus.

8. Non violemus sabbatum, cum eius sanctificatio tanta seueritate à Deo mandata fuerit, vt vltra mille passus Iudæis iter in Sabbato facere non licuerit.

9. In publicis calamitatibus non abijciamus omnem spem, quia vult Deus propter electos abbreuiare dies malos.

10. Ministri Ecclesiæ non dissimulent, neq; extenuent ventura pericula, sed iusta exaggeratione auditoribus suis ea inculcent.

11. Non opinemur perpetuam fore Ecclesiæ tranquillitatem. Quia Sathan ad finem vsque non cessabit varijs fluctibus concutere cymbam Christi.

12. Propter confusiones in mundo non tollamus prouidentiam, quia Deus omnia præuidet & pleraque etiam prædicit.

13. Non feramur quouis vento doctrinæ. Multi enim surgent pseudoprophetæ.

14. Non decipiamur splendore titulorum, non verborum blanditijs, nec fictis pseudoprophetarum miraculis.

15. Non simus securi. Varijs enim nos modis circa finem mundi diabolus impugnabit, & rara etiam inter homines vera fides erit.

16. Nunquam obliuiscamur harum prædictionum. Ideò enim toties sunt repetitæ, vt obseruemus.

17. Miracula & præstigias diaboli & organorum eius fugiamus.

18. Non rideamus cum impio mundo ea, quæ de aduentu Christi ad iudicium in scriptura dicuntur, nec propter moram incerta esse putemus. Non minus enim hæ prædictiones quàm illæ priores de excidio Hierosolymæ implebuntur..

19. Non offendamur humili Christi in cruce specie, sed vt aquilæ cadauera, ita nos Christum sequamur.

DOMINICA XXVI. POST Trinitatis, Euangelium Matth. 25.

Cum venerit filius hominis in gloria &c.

QVÆSTIONES SIMPLICES XXII.

1. DE aduentu filij hominis.
2. De gloria & maiestate eiusdem.
3. De angelorum præsentia in die iudicij, & eius fine.
4. De

4. De throno vel sede maiestatis.
5. De sessione Christi in hoc throno.
6. De congregatione omnium populorum coram Christo.
7. De separatione piorum ab impijs.
8. De forma iudicij extremi.
9. De dextera.
10. De sinistra Christi.
11. De ouibus Christi.
12. De hœdis.
13. De regno Dei.
14. De hæreditate huius regni, & veris eius causis.
15. De benedictis patris cœlestis, qui sint.
16. De præmijs bonorum operum.
17. De fratribus Christi, qui sint.
18. De maledictis & caussis damnationis.
19. De inferno & igne infernali.
20. De diabolo & eius angelis.
21. De pœnis æternis.
22. De vita æterna.

CONIVNCTAE XVII.

1. Quòd certò sit futurum extremum iudicium.
2. Quòd in illo die Christus ipse sit futurus iudex.
3. An omnes homines, & illi etiam, qui in hac vita nullam Christi cognitionem habuerunt,

runt, ante tribunal Christi sistentur?
4. Quòd non in hac, sed in futura tandem vita fiet totalis separatio bonorum à malis.
5. Quòd regnum Dei non à nobis, sed à Deo paratum sit.
6. An regnum detur ex gratia, an verò ex debito & merito?
7. An bona opera mereantur hæreditatem vitæ æternæ?
8. Quòd Deus ab initio in filio suo nos elegerit.
9. Cur aliqui tantùm & non omnes homines saluentur?
10. Quòd verè pij in bonis suis operibus non respiciant meritum aut præmia, sed potius Dei mandatum & proximi necessitatem, sicut dicitur: quando vidimus te esurientem &c.
11. Quòd ea, quæ proximo præstantur beneficia, Christo ipsi fiant.
12. Quòd peccata nostra in illo die non admittant excusationes.
13. An infernus fuerit ab æterno?
14. An diabolus ab initio malus fuerit?
15. Quòd affligentes pios pupillam oculorum Christi tangant.
16. Quòd beneficia, quæ pijs denegantur, Christo ipsi denegentur.
17. Quòd pœnæ impiorum sint æternæ.

AD-

ADHORTATIONES XV.

1. Aduentum filij Dei pij cum gaudio expectent. Veniet enim eis non iudex, sed redemptor & saluator.

2. Impij metu huius iudicij absterreantur à suis peccatis, & agant pœnitentiam.

3. Angelorum exemplo gaudeamus super peccatore resipiscente. Erunt enim Angeli in illo die spectatores nostræ gloriæ, & nobiscum in æternum lætabuntur.

4. Iudices obseruent Christi exemplum, & damnandos prius audiant.

5. In omnibus nostris dictis & factis, imò cogitationibus etiam, simus memores futuri iudicij, in quo etiam de inani verbo ratio reddenda erit.

6. Studeamus esse oues Christi, vt in illo die ad dexteram collocemur.

7. In omnibus afflictionibus sit hæc nostra cõsolatio, quod in illo die vocabimur benedicti patris cœlestis, & vita æterna donabimur.

8. Esurientes pascamus.

9. Sitientibus potum porrigamus.

10. Peregrinos hospitio excipiamus.

11. Nudos vestiamus.

12. Infirmos & captiuos visitemus.

13. Opera dilectionis exerceamus in vera humilitate & simplicitate, nec retributionem quæramus aut spectemus.

14. Etiam minimis piorum libenter inſeruiamus.

15. Vitam æternam non in noſtris meritis, ſed in Chriſto quæramus & poſſideamus.

DETESTATIONES XI.

1. Securitatis & contemptus iudicij extremi.

2. Ironiarum & verborum inanium, quibus aliqui ludunt, & veritatem harum prædictionum dubiam reddere conantur.

3. Caueamus ne in illo die inter hœdos inueniamur.

4. Inclementiæ & immiſericordiæ erga proximum.

5. Eſurientes & ſitientes non dimittamus inanes.

6. Nudis opem noſtram non denegemus, multo minus ea, quæ habent ad nos rapiamus. Cùm enim in die iudicij non perſiſtent, qui non dederunt egentibus, quid fiet de iniuſtis & raptoribus?

7. Infirmos & captiuos non negligamus.

8. Nec piis hoſpitibus ædes noſtras præcludamus.

9. Non nimium amemus bona temporalia, nec cor eis apponamus. Qui enim de bonis ſuis nihil pauperibus erogare volunt, tandem omnia amittent & æternis inſuper pœnis cruciabuntur.

10. Non

10. Non fingamus nobis peccatorum excusationes, nec decipiamur illis, quos mundus quærit prætextus. In illo enim die nihil valebit, sed de impijs feretur simpliciter sententia: Abite in ignem æternum.

11. Non negligamus, nec declinemus occasiones benefaciendi. Qui enim clamores pauperis negligit, CHRISTVM negligit, & in illo die rursus negligetur.

THEMATA CONCIONVM

SEV

SYLVA LOCORVM IN SINGVLA EVANGELIA, QVÆ VSITATO more diebus festis Sanctorum in Ecclesia Dei explicantur.

Bono studio & fideli labore collecta & conscripta

PER

REVERENDVM ET CLARISSIMVM VIRVM DN. M. ANDREAM PANCRATIVM, Ecclesiæ Curiensis olim pastorem & vicinarum inspectorem fidelissimum.

TERTIA PARS.

Hactenus diu exoptata, nunc autem primùm in lucem edita.

ANNO M. D. XCVII.

I

IN FESTO ANDREÆ APOSTOLI, EVANGELIVM Matth. 4.

Ambulans autem Ieſus iuxta mare &c.

QVÆSTIONES SIMPLICES XVI.

1. DE miniſterio Euangelij, quid ſit.
2. De diſcrimine miniſterij veteris & noui Teſtamenti.
3. De apoſtolatu & diſcrimine inter Prophetas & Apoſtolos.
4. De officio Apoſtolorum.
5. De vocatione miniſtrorum duplici, mediata & immediata.
6. De forma mediatæ vocationis, vel quomodo & per quos fieri debeat.
7. De Andrea Apoſtolo, quis & qualis fuerit.
8. De diuerſis & pluribus eius vocationibus.
9. De Petro Apoſtolo.
10. De admiratione miniſtrorum.
11. De forma & fine miniſterij ex verbis: faciam vos piſcatores hominum.
12. De immenſa Chriſti miſericordia & potentia. Vocat enim homines rudes & indignos, & tamen per eos res maximas in mundo efficit.

13. De verborum Christi efficacia, qua moti Apostoli omnia relinquunt, & Christum contemptum in mundo sequuntur.
14. De Iacobo.
15. De Iohanne.
16. De patre eorum Zebedæo.

CONIVNCTAE X.

1. Quòd vocemur à Deo ex gratia, non nostro merito.
2. Quòd Deus omnes etiam indignos homines obedientes vocationi recipere velit.
3. Quòd Euangelium sit potentia Dei, ad salutem omni credenti.
4. Quòd doctrina Apostolorũ sit voluntate diuina promulgata, & ad salutem sufficiens, nec propter eã expectanda aut expetẽda alia.
5. Quòd Ecclesia non colligatur humana sapientia aut eloquentia, quia illiteratos Christus vocauit.
6. An ergo necessaria sit Theologo linguarum & artium liberaliũ cognitio, cùm Christus homines rudes sibi in Apostolos elegerit?
7. An hodiè adhuc ad munus docendi rudes vocandi & admittendi sint?
8. An cuiuis sine authoritate & approbatione gubernatorum Ecclesiæ vocare ministros liceat?
9. An ministri Euangelij possint tenere proprium,

prium, cum hic dicatur: Apostolos vocatos omnia reliquisse?

10. An Iohannes & Iacobus relinquentes patrem suum, rectè fecerint?

ADHORTATIONES XI.

1. Magistratus & Ecclesiæ doctores sint soliciti de propagatione Euangelij, eamq; opera & consilio iuuent.

2. Ministri Euangelij præparent se ad ferendam crucem. Ideo enim iuxta mare Christus Apostolos vocauit, vt significaret crucem esse comitem piorum ministrorum.

3. Sint etiam ministri inter se concordes. Ideò enim fratres vocauit, vt ostenderet ministris opus esse cõcordia & fraterna coniunctione.

4. Labores suos singuli suo loco sedulò faciant. Ideo enim vocauit Christus laborantes, vt honestos nobis labores commendaret.

5. Obtemperemus vocationi diuinæ, vel vocati per verbum sequamur Christum, sine deliberatione aut cogitatione de secuturis aut imminentibus periculis.

6. Fratres & propinqui communicent consilia & operas suas inuicem, in pia concordia.

7. Liberi parentibus decrepitis inseruiant, & voluntati eorum sese subijciant.

8. Qui habent ius & mandatum vocandi Ecclesiæ ministros circũspiciant de hominibus idoneis,

idoneis, ne quosuis ad sacrosanctum hoc munus admittant.

9. Sicut piscatores magno studio & labore vtuntur, vt piscibus rete repleant: ita Ecclesiæ ministri nullos non in se recipiant labores, vt multi ex regno diaboli in regnum Christi transferantur vel reducantur.

10. Ministerium Euangelij omnes homines venerentur & magnifaciant. Nisi enim eius beneficio ad regnum Dei duceremur, perpetuò nobis in regno diaboli hærendum & pereundum esset.

11. Propter Christum charissima quæq;, cum postulat vocatio & confessio, relinquamus.

DETESTATIONES X.

1. Superbiæ, ingratitudinis & peruersitatis eorum, qui grauantur propter Ecclesiam & Ecclesiæ ministros exiguos saltem sustinere labores, cum Christus ipse nihil non fecerit, quod ad ministerij dignitatem pertinere cognouit.

2. Discordiæ inter fratres. Vt enim concordes Deo & hominibus placent, ita discordes vtrisque abominabiles, & sibi etiam exitiosi sunt.

3. Non despiciamus conditionem nostram, quantumuis humilem. Potest enim Christus piscatorem sedulum in Apostolum euehere.

4. Vocati

4. Vocati verbo Dei ad pœnitentiam non obturemus aures noſtras.

5. Non amemus plus patrem, matrem, vel alia bona noſtra, quam Chriſtum.

6. Homines in mundo contemptos non deſpiciamus. Solet enim Chriſtus virtutem in infirmitate perficere.

7. Non iudicemus de miniſterij efficacia ex miniſtrorum donis, dignitate aut indignitate: Deus enim ex ore infantium ſibi laudem parare poteſt.

8. Non abſterreant miniſtros ſuæ infirmitates. Qui enim piſcatores idoneos fecit, hodiè adhuc dabit, ne labor noſter ſit inanis in Domino.

9. Parentes non nimium indulgeant liberis, nec otiosè eos vagari ſinant, ſed à iuuentute ad honeſtos labores aſſuefaciant.

10. Liberi verò non detrectent operam ſuam parentibus, nec in ſenectute eos deſpiciant aut deſerant.

IN DIE THOMÆ APOſtoli, Euangelium Ioh. 20.

Thomas autem vnus ex duodecim &c.

QVÆSTIONES SIMPLICES XVII.

1. DE Thoma quis & qualis fuerit.
2. De resurrectione Christi, & eius fructibus.
3. De testimonijs resurrectionis.
4. De apparitionibus & manifestationibus Christi varijs.
5. De incredulitate humana, & eius caussis.
6. De infirmitate humana, qua fit, vt stantes etiam non ratò cadant.
7. De philanthropia, mansuetudine & bonitate Christi.
8. De metu discipulorum, & eius caussis.
9. De clarificato corpore Christi, & eius proprietatibus.
10. De clarificatione nostrorum corporum.
11. Cur Christus vestigia clauorum in manibus suis etiam post resurrectioné retinuerit.
12. De pace Christi.
13. De conuersione Thomæ.
14. De confessione eius.
15. De fide vera, qualis sit.
16. De fine & vsu miraculorum.
17. De efficacia & fructu fidei ex verbis: Beati qui non vident & credunt.

CONIVNCTAE X.

1. Quòd articulus de resurrectione Christi & alij sint rationi contrarij, nec sine auxilio Spiritus sancti percipi possint.

2. Quòd

2. Quòd Christus verè sit victor mortis, siquidem vivus ex sepulchro resurrexit.
3. Quòd lapsi agentes pœnitentiam sint recipiendi.
4. Quòd Deus velit omnes homines salvos fieri.
5. Et quòd etiam indignos peccatores in gratiam recipere velit.
6. Quòd Christus iannis clausis ingressus sit ad discipulos, & multa alia etiam nobis inimitabilia suo corpore præstare potuerit.
7. An liceat hodiè adhuc exemplo Thomæ præscribere Christo formas apparitionum vel manifestationis?
8. Quòd Christus verum suum corp⁹, quod semel assum sit, nunquam rursus deposuerit.
9. Quòd Christus sit verus Deus.
10. Quòd omnes credentes, quacunque etiam ætate vixerunt, fide in Christum salutem consecuti sint, & hodiè adhuc credentes consequantur.

ADHORTATIONES XII.

1. Articulum de resurrectione Christi tot apparitionibus & testimonijs, & ipsa etiam denique Thomæ confessione approbatum, firmiter credamus.
2. Infirmos in fide suscipiamus & confirmemus.

3. Ad captum eorum, qui non malitia, sed imbecillitate naturali labuntur, consolationes nostras accommodemus.

4. Bonitate & lenitate Christi nos sustentemus, si quando nostra nos indignitas in fide dubios reddere voluerit.

5. Pacem Christi agnoscamus & fide nobis applicemus.

6. Signis & sacramentis additis verbo vtamur, vt fides in nobis confirmetur.

7. Plenum consolationis est, quòd Christus resurgens ostendit in manibus & pedibus suis vestigia clauorum. Reseruatæ enim in corpore Christi plagæ (vt Cyprianus piè inquit) exigunt precium & obedientiæ donatiuum requirunt.

8. Ex incredulitate & alijs peccatis resurgamus, & manum à Deo nobis porrectam apprehendamus.

9. Christum esse verum Deum & hominem cum Thoma credamus & fateamur.

10. Acturi veram & salutarem pœnitentiam fidem in Christum non omittamus.

11. Verbo Dei simpliciter credamus etiam in his, quæ rationi contraria esse videntur.

12. Conuersos ad emendationem vitæ & fructus dignos pœnitentia hortemur. Christus inquit: Esto credulus & non incredulus.

DE-

DETESTATIONES X.

1. Incredulitatis & dubitationis in articulis, certo Dei verbo fundatis.

2. De resurrectione carnis nostræ non dubitemus. Qui enim Christum à mortuis excitauit, nostra etiam corpora, sicut promisit, resuscitabit.

3. Non simus securi, nec nimium viribus nostris tribuamus. Cum enim Thomas qui Iohannis 11. reliquos Apostolos hortabatur, vt in mortem vsque Christum sequerentur, tandem tam horribiliter lapsus sit, quid fiet de nobis miseris & infirmis vasculis?

4. In disputationibus de fidei articulis non audiamus nec etiam admittamus rationis iudicium. Quantum enim ei tribuitur, tantum authoritati verbi diuini adimitur.

5. Non præscribamus Deo modum patefactionis, sed in simplici verbo acquiescamus.

6. Cùm Christus tanta lenitate & bonitate Apostolorum imbecillitatem tulerit, non mox abijciamus, multò minus conculcemus eos, quorum fides ad tempus infirma & modica est.

7. Gratia Dei non abutamur. Non enim ideò tam facilem se Thomæ præbuit, vt facilitate eius abuteremur, sed vt longanimitate hac ad patientiam vocaremur.

8. Incredulo cordi nostro non indulgeamus, sed conemur ex incredulitate emergere, vt Christus dicit Thomæ: Noli esse incredulus, sed credens.

9. Media à Deo ordinata, & ad fidei confirmationem necessaria non negligamus, vt multi hodiè non sine graui peccato, & salutis suæ periculo multis annis ab vsu sacramentorum abstinent.

10. Non opinemur salutem nostram ideo incertam esse, quòd Christum nec oculis cernimus, nec manibus contrectamus. Beati enim qui non vident, & credunt.

IN FESTO NATIVITATIS Christi, Euangelium Luc. 2.

Et exijt decretum à Cæsare Augusto vt &c.

QVÆSTIONES SIMPLICES XXX.

1. DE festo & eius caussis.
2. De natiuitatis Christi tempore, loco, causis, forma & finibus.
3. De certitudine promissionum diuinarum.
4. De censu, qualis fuerit.
5. De Augusto Cæsare & Cyrenio præside eius, cur eorum in hac historia mentio fiat.

6. De

6. De itinere Ioſophi cum Maria deſponſata ſibi vxore.
7. De tribu Dauidis.
8. De mundi cæcitate, ingratitudine, & contemptu Chriſti.
9. De paupertate Chriſti & cauſſis eius.
10. De ſignificatione faſciarum, quibus Chriſtus inuolutus fuit.
11. De præſepio Chriſti in hoc mundo.
12. De gaudio Angelorum, & eius cauſſis.
13. Cur Deus voluerit nunciare nãtiuitatem Chriſti paſtoribus.
14. De claritate Domini, quænam & qualis fuerit.
15. De metu paſtorum.
16. De Euangelio nunciato ab Angelis.
17. De diſcrimine legis & Euangelij, quorum hoc per angelos nunciatum, illa verò per Moſen data eſt.
18. De nato ſaluatore.
19. De gaudio huius natiuitatis.
20. De amore & miſericordia Dei erga genus humanum.
21. De Chriſto rege, & regno eius.
22. De cantico Angelorum.
23. De pia celebratione natiuitatis Chriſti.
24. De cultibus Deo debitis, promiſſo filio.
25. De pace in terris.
26. De beneplacito, vel bona hominum voluntate.

27. De antitheſi huius cantici, quæ eſt deſcriptio huius impij mundi, quod ſit cœtus idolatricus, ſine gloria Dei, ſine pace inquietus & peſſimæ voluntatis.

28. De efficacia verbi in corde paſtorum.

29. De fidei veræ naturâ & proprietatibus.

30. De cuſtodia & meditatione verbi exemplo Mariæ & paſtorum.

CONIVNCTAE XXIII.

1. Quòd Deus regum & principum conſilia ita flectere poſſit, vt ſæpè ignari & nolentes etiam Eccleſiæ Chriſti inſeruire cogantur, ſicut hic edictum Cæſaris ad hoc profuit, vt propter conuocatam hominum multitudinem, fama de nato Chriſto citiùs in omnem terram ſpargeretur.

2. An Auguſtus Cæſar hunc cenſum iuſtè acceperit?

3. An Ioſeph & Maria debuerint obedientiam Cæſari?

4. Quòd magiſtratui in licitis ſit præſtanda obedientia.

5. Quòd Euangelium non aboleat politicas conſtitutiones.

6. Quòd Chriſtus ſit verè promiſſus Meſſias, quia aduentus eius incidit in tempus ablati à Iuda ſceptri, vt olim à Patriarcha Iacobo prædictum erat.

7. Quòd

7. Quòd Christus sit natus secundum Prophetias ex stirpe Dauidis.

8. Quòd Christus veram carnem in vtero Mariæ assumpserit, nec illam secum de cœlo attulerit, vel phantasticum in aëre corpus assumpserit, vt quidam somniarunt.

9. An Maria præter Christum alios etiam filios genuerit?

10. Quòd Deus semper Ecclesiæ suæ hospitium aliquod præparet, si non in Cæsaris palatio, tamen in stabulo & præsepio, circa quod angeli excubias agunt.

11. Quòd Ecclesia in hac vita sit subiecta cruci, paupertati & alijs ærumnis.

12. Quòd Christus sua nos paupertate ditauerit.

13. Quòd apud Deum non sit respectus personarum, siquidem natiuitas Christi miseris pastoribus primùm nunciata est.

14. Quòd angeli sint ministratorij spiritus, & verè de salute nostra lærentur.

15. Quòd beneficia Christi sint vniuersalia, & ad omnes homines pertineant.

16. Quòd Christus sit vnicus redemptor & saluator totius mundi.

17. Quòd regnum Christi non sit de hoc mundo, sed regnum cœlestis gratiæ & pacis.

18. Quòd diaboli proprium sit terrere, sanctorum vero angelorum consolari & erigere turbatos.

19. Quòd hodiè adhuc fasciæ Christi, h.e. S. literæ in signum positæ sint, sed in signum, vt inquit Bernhardus, cui à multis cõtradicitur.

20. Quòd omnis gloria non nobis, sed soli Deo in excelsis tribuenda sit.

21. Quòd sola Christi natiuitas hominibus pacem cum Deo fecerit & attulerit.

22. Quòd acquiescere & non offendi in Christo, beneficium diuinum & non carnis nostræ opus sit.

23. Quòd Euangelium non iubeat abijcere facultates, aut deserere vocationes nostras, vt Anabaptistæ contendunt. Redeunt enim pastores post auditum Angelorum nuncium ad gregem suum.

ADHORTATIONES XXV.

1. Ad piam festi huius celebrationem.

2. Christum promissum esse Messiam, agnoscamus, credamus & confiteamur.

3. Improbi magistratus onera, quatenus fert conscientia, toleremus.

4. Sit inter coniuges mutuus amor, & pia concordia, ferantque patienter bona & mala, quæ hoc vitæ genus secum fert.

5. Mariti sint de salute grauidarum suarum coniugum soliciti, sicut hìc Ioseph maluit grauidam Mariam secum ducere, quàm cum periculo solam domi relinquere.

6. Iugum paupertatis feramus moderatè, cùm Christus etiam in summa paupertate natus sit & vixerit.

7. Boni consulamus, si qualecunque nobis Deus in hoc mundo hospitiolum concedit. Christus enim creator cœli & terræ in diuersorio, non alium quàm in præsepio locum habuit.

8. Simus in vocatione nostra ideo etiam seduli, quòd Angeli tunc apparent pastoribus, cùm apud gregem suum vigilant.

9. Exemplo angelorum inseruiamus Christo & membris eius.

10. Cùm gaudium de nato saluatore ad omnes homines pertineat, omnes etiam in eo lætentur, nec à diabolo gaudium hoc sibi eripi patiantur. Cùm enim Christus carnem de carne nostra assumpserit, non odio nos habebit.

11. Quæramus Christum in fascijs sacræ scripturæ, in quibus hodiè adhuc inuolutus inuenitur, sicut etiam ad eas nos remittit dicens: Scrutamini scripturas.

12. Moti angelorum cantico simus Deo grati promisso & dato nobis filio.

13. Agnoscamus etiam omnia Christi beneficia non ex nostris meritis, sed sola gratia Dei nobis contingere, & propterea cantemus ipsi gloriam in excelsis.

14. Pa-

14. Pacem conſcientiæ in ſolo Chriſto quæramus. Nobis enim, non angelis, natus eſt ſaluator.

15. Simus autem concordiæ ſtudioſi, & pacem in terris cum omnibus hominibus retinere cupiamus.

16. Acquieſcamus & beneplacitum ſit nobis in Chriſti perſona & officio.

17. Placeat etiam nobis crux ſancta & tam aduerſa, quàm proſpera bona voluntate feramus.

18. Miniſtri verbi ſint hodie adhuc huius hymni præcentores, & omnes homines ad gratitudinem erga Deum, ad fidem in Chriſtum, & bonæ conſcientiæ & pacis ſtudium hortentur.

19. De auditis S. concionibus ſæpè & multum inter nos conferamus.

20. Diligenter etiam de veritate inquiramus, nec quouis nos vento circumferri ſinamus.

21. Cognitam veritatem coràm omnibus hominibus liberè & intrepidè confiteamur.

22. Qui myſteriorum ſacrorum ſingularem cognitionem habent, communicent eam aliis, vt paſtores faciunt.

23. Opera & miracula Dei cum admiratione audiamus, & fidem in nobis per ea exuſcitemus.

24. Verbum Dei in corde noſtro meditemur, conſideremus, & fideliter cuſtodiamus, vt Mariam hîc feciſſe legimus.

25. Agamus Deo ſempiternas gratias pro agnitione Chriſti & ſcientia ſalutis, quam per verbum nobis largitur.

DETESTATIONES XII.

1. Magiſtratus non rapiat ad ſe cenſum templi. In perpetuam enim Auguſti ignominiam hoc eius factum tam diligenter ab Euangeliſta ſcriptum eſt.

2. Non reſiſtamus vi malo, ſed propter conſcientiam etiam improbi magiſtratus iugum feramus.

3. Puerperæ non grauentur ſuas etiam habere & ferre ærumnas, cum Maria mater Domini in ſtabulo enixa, nullas non moleſtias patienter ſuſtinuerit.

4. Non murmuremus, ſi quando nobis in hoc mundo accidunt aduerſa: oportet enim nos prius Chriſto fieri conformes in paupertate & aliis calamitatibus, quàm cum ipſo exaltemur in gloria.

5. Execremur diabolicam ingratitudinem mundi, qui Chriſtum natum in ſtabulum remittit, nec vllo ſaltem minimo officio eum dignatur.

6. Non offendamur, ſi hodie adhuc Chriſtum

ſtum & Euangelium eius à præcipuis in mundo negligi videmus.

7. Conſiderata multiplici noſtra indignitate & infirmitate, cohorreſcamus quidem, ſed ita tamen ne nunciatum in Euangelio de Chriſto gaudium prorſus omittamus.

8. Neq; difficile nobis ſit etiam infimæ ſortis hominibus Euangelium nunciare, cum angeli Dei ad paſtores ſeſe ablegari lætentur.

9. Nemo propter indignitatem ſuam excludat ſe à gratia Dei. Annunciatur enim gaudium omni populo.

10. Non offendamur miſera & humili Chriſti ſpecie. Hodiè enim adhuc in præſepio iacet.

11. Sacrarum concionum non facilè rurſus obliuiſcamur, ſed habitet inter nos verbum Dei perpetuò.

IN FESTO S. STEPHANI Protomart. Euangelium Matt. 23.

Ecce ego mitto ad vos &c.

QVÆSTIONES SIMPLICES XX.

1. DE martyribus & martyriis.
2. De S. Stephano protomartyre.
3. De Prophetis.
4. De Scribis.

5. Et

5. Et de sapientibus missis ad Iudæos.
6. De Synagogis Iudæorum, quales fuerint.
7. De cruce & persecutionibus discipulorum Christi & omnium piorum.
8. De pœnis persecutorum.
9. De vindicta diuina.
10. De præcioso sanguine sanctorum Martyrum.
11. De crudelitate & ingratitudine eorum & eorundem causis.
12. De congregatione sub alas Christi, quomodo fiat.
13. De beneficijs Christi ex simili de gallina.
14. De repugnantia humana.
15. De libero arbitrio, & viribus humanis ex verbis: Et noluisti &c.
16. De imprudentia, infirmitate, & petulantia humana, ex simili de pullis.
17. De conuersione ad Deum, & eius causis.
18. De desolatione vel desertione domus, qualis sit.
19. De abitu Christi ad Patrem.
20. De reditu eius in die nouissimo.

CONIVNCTAE XIX.

1. Quòd Christus conseruet ministerium verbi in mundo ex verbis: Ego mitto &c.
2. Quòd fideles Ecclesiæ doctores sint Dei donum.

3. Quòd

3. Quòd pij in hoc mundo non casu, sed Deo sciente & permittente affligantur.

4. An Deus approbet tyrannorum persecutiones, & cruenta consilia?

5. An Deus ideo miserit Prophetas, vt occiderentur?

6. An martyrium & crux piorum prosint ad gloriam Dei, & Ecclesiæ ædificationem?

7. An Deus sit causa odij & persecutionis in tyrannis?

8. An velit Deus aliquos homines excæcari, & petulanter sibi pœnas attrahere, cum hic dicatur: Vt veniat super vos omnis sanguis &c.

9. An soleat Deus hominibus imputare peccata ab eis non perpetrata, cum hîc dicatur: Venturum super Iudæos etiam Habelis sanguinem &c.

10. Quòd Deus lachrymas & sanguinem piorum colligat in vtre, & tandem etiam vindicaturus sit.

11. Quòd comminationes diuinæ sint certissimæ.

12. Quòd Deus velit omnes homines saluos fieri.

13. Quòd Christus velit congregari pusillos cum maioribus.

14. Quòd congregati sub alas Christi, ab incursionibus diaboli tuti esse possint, si modo velint.

15. An

15. An homo ope & auxilio Spiritus sancti possit assentiri Deo vocanti per verbum?

16. Quòd causa damnationis & perditionis multorum non sit imputanda Deo, sed potius diabolo & illis ipsis, qui pereunt, sicut dicitur volui te congregare & noluisti &c.

17. Quòd contemptum Christi & Euangelij eius, tandem sequantur pœnæ vniuersales, vt sunt excidia vrbium, & similia.

18. Quòd CHRISTVS ante diem extremum non velit forma visibili, vt antea, inter homines versari.

19. Quòd Christus in fine mundi sit rediturus ad iudicium.

ADHORTATIONES XII.

1. Prophetas & omnes fideles doctores à Deo nobis datos, cum gratiarum actione & debita reuerentia suscipiamus & audiamus.

2. Crucem & persecutiones feramus patienter, quia Christus videt, & suo etiam tempore persecutores puniet.

3. Vbi opus est, pro nomine & gloria Christi etiam sanguinem nostrum fundamus. Preciosa enim est mors sanctorum in conspectu domini.

4. Ministri verbi studeant dissipatum gregem Christi congregare.

5. Auditores sinãt etiam se per vocem Euan-

gelij ſub alas Chriſti colligere, ne à vultur diabolo rapiantur & deuorentur.

6. Taxent etiam fideles doctores mundi ingratitudinem, & pœnas futuras prænuncient.

7. In declaratione locorum Eccleſiæ vtantur nonnunquam ſimilibus & parabolis vulgo notis.

8. Beneficia Chriſti in ſimili de gallina egregiè depicta conſideremus, & grato pectore accipiamus.

9. Infirmitatem & pericula noſtra, quæ in pullis gallinarum proprijſſimè depingitur, agnoſcamus.

10. Sub alas Chriſti confugiamus, & ab eo contrà diabolum nos defendi petamus.

11. Cupientes conſeruari domos noſtras, audiamus eos, qui ad nos miſſi ſunt.

12. Andiamus & ſuſcipiamus Chriſtum, dum nobiſcum eſt, ne noſtro contemptu à nobis repellatur.

DETESTATIONES XIII.

1. Tyrannidis & perſecutionum fidelium doctorum Eccleſiæ.

2. Ingratitudinis erga Chriſtum & Euangelium.

3. Non excutiamus iugum, nec ſalutares admonitiones negligamus. Deus enim in virga ferrea

ferrea visitabit, & confringet tandem eos qui oderunt disciplinam.

4. Tyrannos & hostes Ecclesiæ neq; consilio, neque opera iuuemus. Beatus enim qui non abijt in consilium impiorum.

5. Sanguine sanctorum non polluamus manus nostras. Clamat enim de terra ad Deum, nec cessat, donec ad vindictam iustam eum excitet.

6. Abstineam' etiam in vniuersum à sanguine humano, nec iniustè eum fundamus. Quia enim precioso Christi sanguine redemptus est, difficillima ratio homicidis coram Deo reddenda erit.

7. Non offendamur si hodie adhuc eos, qui sunt in Synagogis & in cathedra Mosis sedent, sese Christo opponere videmus.

8. Non etiam grauemur propter Christum odia & persecutiones mundi sustinere. Sic enim sanctis etiam Prophetis accidit.

9. Non rideamus cum impijs comminationes diuinas. Certissimè enim tandem superueniunt, quæ in verbo prædicta sunt.

10. Contemptores Euangelij non polliceantur sibi perpetuam impunitatem. Cum enim Deus non pepercerit ciuitati Hierosolymæ, certè multo minus aliis parcet.

11. Vocati à Deo ad pœnitentiam non re-

pugnemus, ſed congregari nos ſub alas Chriſti ſinamus.

12. Congregati verò non ſimus ſecuri, nec temerè reſiliamus. Obſeruat enim Diabolus occaſiones rapiendi diligentiſſimè.

13. Non contemnamus verbum diuinum, ne domus noſtra derelinquatur & vaſtetur.

IN DIE IOHANNIS APOſtoli & Euangeliſtæ, Euangelium Iohan. 21.

Peracto prandio dixit &c.

QVÆSTIONES SIMPLICES XXI.

1. DE toto Iohannis Euangeliſtæ curriculo & morte.
2. De Petro.
3. De quæſtione Chriſti, & eius cauſſa.
4. De modeſto Petri reſponſo.
5. De miniſterij forma, & fine, ex ſimili de paſcendis ouibus.
6. De agnis & ouibus Chriſti.
7. De repetitione quæſtionis.
8. De triſtitia Petri.
9. De omnipotentia Chriſti.
10. De præmijs fidelium miniſtrorum duplicibus. Alia enim Chriſtus, alia mundus ſoluit.

11. De duplici cinctura Petri, & vero eius intellectu.
12. De Martyrio & eius fine.
13. De infirmitate carnis, qua fit, vt Christum in ferenda cruce ægrè sequamur.
14. De morte & confessione Petri Apostoli.
15. De prædictione Martyrij eius.
16. Quid sit Christum sequi.
17. De diuersitate fortunæ Apostolorum.
18. De Ignorantia discipulorum Christi.
19. De testimonio Iohannis.
20. De approbatione huius testimonij, facta à primitiua Ecclesia.
21. De innumeris Christi operibus & miraculis.

CONIVNCTAE X.

1. An Christus quærens & dicens: Petre diligis me &c. ignorarit animum Petri?
2. Quòd Christus tam paruulos quàm adultos in Ecclesia velit doceri & sibi adduci.
3. Quòd Christus sit scrutator cordium, & coram ipso nihil absconditum.
4. Quòd Christus præuideat afflictiones suorum.
5. Quòd pij non casu affligantur.
6. Quòd mors sanctorum martyrum cesserit, & hodie adhuc cedat in gloriam Dei, vt hic dicitur: significans qua morte clarificaturus esset eum.

7. An Petrus nolens & repugnans sit factus martyr, cum hic dicatur: Ducet te quo &c.

8. An sit apud Deum respectus personarum, cùm Christus dicat: Si volo eum manere donec veniam, quid ad te?

9. Quòd etiam discipuli non semper omnia Christi verba mox assecuti sint.

10. Quòd Euangelium Iohannis, maximè verò testimonium eius de diuina Christi natura, sit verum & à primitiua Ecclesia approbatum.

ADHORTATIONES XII.

1. Ad ardentem & veram Christi dilectionem.

2. Ad modestiam & humilitatem. Etsi enim sciebat Petrus, se verè dominum diligere, tamen non vult se super alios efferre, aut hoc de se prædicare, quòd plus aliis ipsum diligat.

3. Ad fidelitatem in officio.

4. Ministri Ecclesiæ pascant & curent non tantum oues, sed etiam agnos Christi, hoc est, iuuentutem in vera Dei agnitione fideliter instituant.

5. Sicut Petrus hic agnoscit, se ideo terà Domino interrogari, quòd ter ipsum etiã negauerat, & propter hoc verè contristabatur: ita nos etiam peccata nostra agnoscamus & nunquam non deploremus.

6. Mi-

6. Ministri Ecclesiæ ideò etiam diligentius in gregem suum intendant, quòd Christus hìc agnos & oues suas Petro tam fideliter commendet.

7. Præparent etiam animos suos ad ferendas quasuis iniurias. Quo enim diutius iuuent, eò maiorem sentient mundi ingratitudinem.

8. Feramus mortem patienter, & celebremus Deum non ore tantùm, sed si sic ipsi visum fuerit, etiam sanguine nostro.

9. Sequamur Christum in fide, conuersatione, dilectione, & denique etiam morte ipsa.

10. In omnibus actionibus nostris respiciamus ad voluntatem & vocationem diuinam, eique sine contradictione aut cunctatione obtemperemus, sicut dicitur hìc Petro: Tu me sequere &c.

11. Errantes in aliquo doctrinæ articulo admoneamus, & omnem errorem ex animis eorum eximamus.

12. Approbatum Iohannis Euangelium legamus, discamus, & fide firma amplectamur.

DETESTATIONES X.

1. Lapsuum nostrorum non mox obliuiscamur. Ideo enim Christus toties Petrum interrogat, vt peccatum eius tacitè ei exprobret.

2. Non sit nobis, Ecclesiæ ministris molestum, fieri omnia omnibus, & paruulis etiam inseruire. Vult enim Christus etiam agnos suos recte curari.

3. Non moxabijciamus, aut prorsus damnemus eos; qui lapsu aliquo præoccupati sunt. Cùm enim hîc Christus Petro, paulò ante turpiter lapso, gregem suum tam diligenter commendet, hodie adhuc ex vasis fragilibus, vasa gratiæ fieri possunt.

4. Ventura pericula non dissimulemus, sed tempestiuè auditores nostros admoneamus, sicut Christus hîc Petrum de futura cruce præmonet.

5. Non fugiant Ecclesiæ ministri mortem & pericula, cùm in diuino consilio constitutum est, vt ducamur quo nolumus, & hac ratione Deum celebremus.

6. Non indignemur, si aliorum fortuna videtur melior esse nostra.

7. Curiositatem humanam, quæ aliena admiratur, propria verò negligit & despicit, fugiamus.

8. Non spargamus incerta pro certis. Reprehendit enim hîc Euangelista eos, qui verba Christi sinistrè accipiebant.

9. Non expetamus contra Domini voluntatem, vel perpetuam felicitatem vel vitæ prorogationem, sed in Dei cõsilio acquiescamus,

10. Non

10. Non disputemus, cur Deus vni plus calamitatum quàm alteri imponat, sed in ea vocatione, qua vocati sumus, fideliter & sine murmure seruiamus.

IN FESTO CIRCVMCISIONIS Domini, Euangelium Luc. 2.

Postquam consummati sunt dies octo &c.

QVÆSTIONES SIMPLICES XIII.

1. De festo & exordio anni noui.
2. De sacramentis in genere quid sint.
3. De circumcisione in genere.
4. De circumcisione Christi.
5. Cur Deus in hac & non alia parte corporis circumcisionem fieri voluerit.
6. De peccato originis.
7. De regeneratione.
8. De impletione legis per Christum facta.
9. De partibus legis & discrimine earundē.
10. De abrogatione circumcisionis.
11. De impositione nominum & varijs eius caussis.
12. De nomine Iesu.
13. De officio Christi.

CONIVNCTAE XVI.

1. Quòd natura humana ab vtero pollutæ sit peccatis, & propterea circumcisione spirituali indigeat.

2. An Christus etiam, vt alij homines, in peccatis conceptus & natus sit?

3. An opus fuerit circumcidere Christum, vel an circumcisio eius eadem, & non alias, quàm reliquorum hominum circumcisio causas habuerit?

4. An mandatum Dei de circumcisione ad nos gentes etiam pertineat?

5. An & quatenus lex Mosi abrogata sit?

6. An circumcisio, qua hodiè adhuc Iudæi vtuntur, sit necessaria & salutaris?

7. An liceat in Sacramentis quicquam mutare, addere, vel adimere?

8. An Sacramenta extra vsum in verbo Dei expressum, sint & maneant sacramenta?

9. An circumcisio, & alia sacramenta, ex opere operato prosint?

10. Quòd nostri etiam infantes per baptismum debeant inseri Ecclesiæ, cùm infantes in veteri testamento die octauo circumcisi sint.

11. Quòd Christus ideò sit factus obediens legi, vt à legis maledictione nos liberaret.

12. Quòd præter nomen Iesu non sit datum aliud, in quo saluari nos oporteat.

13. Quòd

13. Quòd Christus nomen hoc non ideo acceperit, vt nos ex manu hostium corporalium, sicut Iosua filios Israël, liberaret, sed vt spirituales nostros hostes vinceret, & à peccatis populum suum saluaret.

14. Quòd angeli Dei de salute nostra verè lætentur.

15. Quòd in Christo non tantùm ante eius conceptionem, sed etiam ante mundi creationem electi simus.

16. Quòd Deus omnia, quæ nobis euentura sunt, etiam tunc sciat, dum adhuc in vtero gestamur.

ADHORTATIONES XV.

1. Præstemus Deo obedientiam etiam in his mandatis, quæ coram ratione stulta & ridicula videntur.

2. Sacramentis vtamur secundum modum in verbo præscriptum.

3. Legitimum sacramentorum vsum singuli suo loco tueantur, sicut Macchabæi malunt mori, quam mandatum Dei de circumcisione violare.

4. Sacramenta magnifaciamus, cum Christus etiam eis vsus sit.

5. Ad actum baptismi hodie adhuc libenter conueniamus, & preces ardentes ibi faciamus, sicut olim in circumcisione paruulorũ etiam fiebat.

6. Legi

6. Legi diuinæ in omnibus, quæ ad nos pertinent, debitam obedientiam præstemus.

7. Viuamus castè & vas nostrum in sanctitate custodiamus. Vult enim Deus præcidi inordinatas carnis nostræ concupiscentias.

8. Cùm Christus propter nos se legi subiecerit, nos etiam proximum nostrum, sicut nosipsos, diligamus.

9. In vera humilitate exemplum Christi sequamur.

10. Contra legis accusationes hanc consolationem probè teneamus, quia Christus sua obedientia à legis maledictione nos liberauit.

11. Agamus etiam Christo gratias, non verbis tantum, sed opere etiam pro hac salutari liberatione.

12. Infantibus nostris cum aliquo iudicio & consilio pio, nomina imponamus.

13. Nomen IESV in vita & morte omnibus diaboli tentationibus opponamus. Propter nos enim teste angelo, nomen hoc accepit.

14. Inuocemus etiam nomen hoc sanctum, qui enim nomen Domini inuocauerit, saluus erit.

15. Sæpè recordemur nominis in baptismo accepti. Ideo enim Christiani vocamur, vt reconciliati cum Deo conformemur Christo,

in

in hac vita quidem in fide, ſanctitate & cruce, in futura vero in gloria.

DETESTATIONES X.

1. Non quæramus, cur Deus hoc vel illud iuſſerit, quantumuis etiam ridiculum videatur. Non multi enim ſapientes ſecundum carnem electi ſunt.

2. Non transferamus ſacramenta in vſum alienum, & à verbo Dei diſcrepantem.

3. Ab vſu ſacramentorum vltra iuſtum tempus non abſtineamus, nec longius eum differamus. Moſes enim propter omiſſam filiorum circumciſionem in vitæ periculum incidebat Exodi 4.

4. Non accedamus ad ſacramenta imparati aut opinione meriti faſcinati, ſed vſum eorum ex verbo rectè intelligere diſcamus.

5. Non opinemur cum circumciſione carnis alteram etiam ſpiritualem abrogatam eſſe. Vult enim Deus hodiè adhuc cor noſtrum circumcidi.

6. Non polluamus corpora noſtra libidinibus, aut alijs peccatis. Ideò enim in baptiſmo ab omnibus peccatis mundamur, vt ſanctè & caſtè in hoc mundo viuamus.

7. Non denegemus cum Anabaptiſtis paruulis noſtris lauacrum regenerationis. Cum enim baptiſmo non minus quàm olim Iudæorum

dæorum paruuli circumcisione indigeant, æquè etiã vt illi suos ad circumcisionẽ, ita nos nostros infantes ad baptismum perferamus.

8. Sub onere peccati & sensu iræ diuinæ non succumbamus. Christus enim ideò factus est legi obediens, & dictus Iesus, vt populum suum à maledictione liberaret & à peccatis saluaret.

9. Abstineamus ab omni ingratitudine, maximè vero à diris execrationibus & prophanatione sancti nominis Iesu.

10. Non abutamur etiam hoc nomine ad securitatem vel licentiam peccandi. Non enim venit Christus vt approbaret aut foueret, sed vt tolleret peccata.

IN DIE EPIPHANIORVM, Euangelium Marth. 2.

Cum natus esset Iesus in Bethlehem Iudeæ &c.

QVÆSTIONES SIMPLICES XXVIII.

1. DE natiuitate Christi.
2. De manifestationibus huius natiuitatis.
3. De varijs testimonijs, quòd Christus sit promissus Messias.

4. De

4. De loco natiuitatis.
5. De tempore eiusdem, & cur expressa vtriusque mentio fiat.
6. De Rege Herode, & mala eius conscientia, qui metuit ne à regno malè parto depellatur.
7. De Magis, quinam & quales fuerint.
8. De Christo rege & duce Iudæorum.
9. Vnde Magi cognitionem Christi acceperint.
10. De stella visa in oriente.
11. De malitia diaboli incitantis contra Christum, Herodem, & totam Iudæam.
12. De adoratione nati regis.
13. De turbatione Herodis & eius causis.
14. Cur etiam tota Hierosolyma cum Herode perturbata fuerit.
15. De authoritate & certitudine oraculorum Propheticorum.
16. De Bethlehem ciuitate Iudeæ.
17. De astutia, malitia, & hypocrisi Herodis.
18. De simplici fide Magorum.
19. De sapientia humana, excogitante varias artes contra CHRISTVM & Euangelium eius.
20. De cæcitate & dementia Iudæorum, qui alios ad Christum ablegant, cùm tamen ipsi interea eum negligant.

21. De

21. De exercitijs fidei Magorum.
22. De cruce Ecclesiæ.
23. De miranda Ecclesiæ conseruatione.
24. De gaudio Magorum.
25. De persona Christi, vtraque eius natura & officio ex dicto Micheæ.
26. De cultibus Christo debitis.
27. De allegoria & significatione munerum Magorum.
28. De prouidentia diuina & custodia piorum.

CONIVNCTAE XXV.

1. Quòd ratio semper soleat Christum quærere in sublimibus, sicut Magi hîc prius Hierosolymam quam in Bethlehem veniebant.
2. An signa cœli obseruare liceat?
3. Quòd studium astronomicum, si non accedit abusus, per se licitum & concessum sit.
4. Quòd gentes etiam pertineant ad regnum Messiæ.
5. An opinio papistarum de tribus regibus vera sit, & scripturæ testimonia habeat?
6. Quòd promissio de venturo Messia tempore Christi apud Iudæos adeò nota fuerit, vt etiam Herodes de ipso inquisiuerit.
7. Quòd Christus sit promissus Messias. Omnes enim circumstantiæ natiuitatis eius, cum oraculis Prophetarum conueniunt.

8. Quòd

8. Quòd Deus credentes simplici verbo subinde in fide confirmare soleat.

9. Quòd Diabolus nunquam cesset per sua organa vi & dolo Christum & Ecclesiam eius oppugnare.

10. Quòd mundus semper præ cœlestibus amet & eligat terrestria, & de his magis quàm de illis sit solicitus.

11. Quòd Deus semper sibi colligat Ecclesiã, & cõseruet aliquos filium suum vera fide colentes & inuocantes.

12. Quòd præcipui in mundo omnibus ferè seculis Christum & Euangelium eius neglexerint.

13. Quòd omnes creaturæ, Deo sic ordinante, Christo & piis etiam inseruiant.

14. Quòd Deus sanctos suos mirificè ducat.

15. Quòd vsitatum sit, eos qui sunt cultui diuino proximi, eundem minimè curare.

16. Quòd Christo nato per stellam cœlitus etiam sit datum testimonium.

17. An stella visa in oriente fuerit vulgaris, an verò singularis aliqua?

18. Quòd verbum Dei sit stella lucida, Christum nobis monstrans.

19. Quòd soleat Deus suos nonnunquam exercere in fide, sicut Magi occultatione stellæ exercebantur.

20. Quòd Magi agnouerint Christum esse regem & promissum Messiam.

21. Quòd fidem veram semper sequantur bona opera, & inprimis liberalitas erga Ecclesiam.

22. Quòd Deus velit Ecclesiæ suæ prospicere de necessarijs.

23. Quòd sapientia diuina possit confundere, & irrita facere consilia humana contra Ecclesiam astutè excogitata.

24. Quòd possit Deus eripere suos ex potestate diaboli, & manu inimicorum suorum.

25. Quòd liceat fugere pericula, quæ Deus verbo suo fugere iubet.

ADHORTATIONES XV.

1. Stellam cœlestem in verbo Dei prælucentem sequamur, si Christum quærere & inuenire voluerimus.

2. Prophetarum oracula attentè legamus, sicut consentaneum est hos Magos Christi cognitionem ex prophetijs Danielis, quia liquandiu in Persia vixit, sumpsisse.

3. Signa cœli non superstitiosè, sed pio studio obseruemus.

4. De Christo rege nostro diligenter inquiramus.

5. Christum coram omnibus sine metu periculorum confiteamur.

6. In

6. In fide perſeueremus, etiamſi varijs tentationibus oppugnamur.

7. Integram & bonam conſcientiam conſeruare ſtudeamus. Sicut enim Herodes de rapto vi imperio malè ſibi conſcius, nihil non tentat, ita hodiè adhuc multi conſcientię reatu in horribilia peccata præcipitantur.

8. Simus contenti mediocri fortuna, nec iniuſtè aliena expetamus.

9. Quæ in verbo Dei affirmantur, certa eſſe credamus etiamſi cum ratione pugnant, ſicut Magi admoniti ex ſcriptura Bethlehem vſq; proficiſcuntur, cùm tamen in Hieroſolyma Chriſtum non inuenerant.

10. Euangelium amplectamur & ſequamur. Hac enim ſola ſtella apparente, verum in corde noſtro exoritur gaudium.

11. Chriſtum inuentum in fide vera adoremus, & cœleſtem regem noſtrum eſſe credamus.

12. Sicut Magi non ſtellam, non Mariam, non Ioſephum, ſed paruulum natum adorant, ita nos etiam creatorem, & non creaturas adoremus.

13. Facultates noſtras ad verbi propagationem & miniſterij conſeruationem conferamus.

14. Exulanti in hoc mundo Ecclesiæ, de bonis nostris communicemus.

15. Christum vera fide, inuocatione ardente, & patientia nõ simulata colamus, sicut in donis Magorum significatur.

DETESTATIONES XXIII.

1. Non offendamur, si Christum hodiè adhuc in Hierosolyma, hoc est, in locis splendidis non inuenimus.

2. Non rideamus promiscuè omnia cœli signa.

3. Artes per se bonas & necessarias propter abusum neq; damnemus, neq; prorsus abijciamus.

4. Non amemus plus terrestria quam cœlestia, multò minus Christum propter temporalia persequamur.

5. Non turbemur prædicatione Euangelij, vt hodiè adhuc Papistæ faciunt.

6. Non grauemur propter Christum longinqua & difficilima itinera facere, aut quasuis alias sustinere molestias, cùm Magi ex oriente in Bethlehem vsque stellam secuti sint.

7. Non superbiamus de loco natiuitatis nostræ, neque de aliis carnalibus prærogatiuis gloriemur. Christus enim in loco humili nasci voluit.

8. Non

8. Non desinamus de Christo inquirere, etiamsi apud præcipuos in mundo altum de ipso est silentium.

9. Non simulemus ore diuersum ab eo, quod cor sentit. Sicut Herodes hic bona pollicetur, interea verò pessima quæuis cogitat.

10. Non decipiamur blandis filiorum seculi verbis. Solent enim ex corde peruerso loqui, & promittere optima.

11. Ambitioni, inuidiæ, & cupiditati dominandi resistamus. Hisce enim peccatis impulsus Herodes, non timet Christo etiã insidias struere.

12. Non offendamur, si hodiè adhuc cernimus Christum humilia in hoc mundo eligere.

13. Reprimamus carnis impatientiã, si quando pro beneficiis mala nobis redditur gratia. Sicut audimus hic Herodem & Sacerdotes sua à Deo accepta potestate, contra Christũ filium eius abusos esse.

14. Non deficiamus in fide, si quando mora vel alia ratione exercetur.

15. Quæsituri & inuenturi veram Ecclesiam non oculorum iudicium, sed Dei verbum sequantur. Sicut Magi ex Metropoli Hierosolyma in oppidum Bethlehem secundum Micheę Prophetiam proficiscuntur, & Christum quærunt.

16. Non miremur, si hodiè adhuc Ecclesiam varijs tentationum procellis concuti videmus, nec hostium potentia & insidijs frangamur. Potest enim Deus irritos facere ipsorum conatus, & suos mirabiliter protegere & liberare.

17. Turpè est doctori non facere ea, quæ alios docet & iubet, sicut hic sacerdotes Magos iubent in Bethlehem Christum quærere, cùm tamen ipsi interea eum negligant & persequantur.

18. Non grauemur propter sanæ doctrinæ confessionem, exilia & alias sustinere ærumnas. Christus enim infans propter nos exulauit, vt ad patriam cœlestem nos reuocaret.

19. Non sit ficta vel simulata nostra inuocatio. Abominatur enim Deus preces eorum, qui ore tantum appropinquant.

20. De victu non simus soliciti. Sicut enim Deus filio suo exulaturo de viatico prospicit, ita hodiè adhuc suos curat.

21. Non offendamur paupertate Christi. Ea enim nos diuites fecit.

22. Non opponamus nos Christo & Ecclesiæ. Præterquam enim quod irriti sunt hostium conatus, etiam contra stimulum calcitrant, & sibi exitium accersunt.

23. Non tentemus Deum, si pericula bona conscientia fugere possumus.

IN

IN DIE CONVERSIONIS Pauli, Euangelium Matth. 19.

Et respondens Petrus dixit &c.

QVÆSTIONES SIMPLICES XX.

1. DE festo.
2. De conuersione & toto curriculo Pauli.
3. De exemplo Apostolorum relinquentium omnia propter Christum.
4. De Martyrio & confessione Pauli.
5. De premijs Martyrij.
6. De confessoribus.
7. Qui sint, qui Christum rectè sequuntur.
8. De regeneratione duplici, quarum vna facta est, & adhuc quotidiè fit per ministerium Euangelij: altera verò fiet in die extremo, quando omnia renouabuntur.
9. De potestate & gloria Christi.
10. De sede maiestatis eius.
11. De sessione Christi in illa sede.
12. De assessoribus Apostolis.
13. De duodecim eorum sedibus.
14. De iudicio Christi & Apostolorum, & eorum discrimine.

15. De duodecim tribubus Israël, quomodo iudicabuntur.
16. De vita æterna.
17. De hæreditate vitæ æternæ, à quibus & propter quid accipiatur.
18. De primis.
19. De nouissimis.
20. Quomodo & cur ex primis nouissimi, & ex nouissimis primi fiant.

CONIVNCTAE XIIII.

1. An Petrus petens & quærens præmia pro his, quæ propter Christum reliquit, rectè fecerit?
2. An necesse sit secuturos Christum semper omnia abijcere & relinquere?
3. Quòd Christus in die extremo certò sit rediturus ad iudicium.
4. Quòd Christus solus & vnicus sit iudex viuorum & mortuorum.
5. Quòd coram hoc iudice simul Iudæi & Ethnici sistentur.
6. An Apostoli in die iudicij æqualem cum Christo maiestatem & potestatem habituri sint?
7. An Christiani possint bona conscientia tenere proprium, possidere agros, domos, ducere vxores, & procreare liberos &c.
8. An concessum sit ministris Euangelij coniugium,

iugium, cum Petrus dicit: Relinquimus propter te vxores?

9. An & quando propter Christum patres, matres, vxores & alia relinquenda sint?

10. An vita æterna detur propter confessionem Christi, aut alia bona opera?

11. Quòd bona opera habeant sua præmia in hac & futura vita.

12. Quòd hæc præmia non ex debito, sed gratis propter Christum promissa sint, & distribuantur credentibus.

13. Quòd conuersi ad Deum possint rursus labi, & ex primis nouissimi fieri.

14. Quòd lapsi agentes pœnitentiam possint redire in gratiam cum Deo.

ADHORTATIONES XV.

1. Christum ad finem vsque sequamur.

2. Confiteamur etiam eum cum periculo vitæ & fortunæ nostræ.

3. Aduersa, quæ propter Christum & nomen eius eueniunt, patienter feramus.

4. Cum necessitas & Christi confessio à nobis requirunt, omnia etiam charissima relinquamus.

5. In omni calamitate, cruce & persecutione hac spe nos sustentemus, quòd in vita futura recipiemus centuplum.

6. Futurum iudicium in omnibus nostris

actionibus respiciamus, & metuamus. Erit enim tunc reddenda ratio non tantùm de operibus iniquitatis, sed etiam de omni verbo inani.

7. Agros & domos possideamus quidem, sed ita tamen, ne à regno Dei nos retrahant aut confessionem Christi impediant.

8. Parentes vxores & liberos diligamus, non tamen plus quam Christum ipsum.

9. Vitam æternam in solo Christo quæramus, & accepturos nos certo speremus.

10. Qui videntur sibi primi esse, ambulent in timore Dei, ne rursus nouissimi fiant.

11. Nouissimi agant pœnitentiam. Possunt enim per Dei gratiam rursus fieri primi.

DETESTATIONES XII.

1. Non quæramus mox retributionem, si propter Christum aliquid relinquendum est. Qui enim omnia nobis dedit, habet etiam potestatem rursus auferendi.

2. Non nimium extollamus ea, quæ propter Christum exponimus. Plus enim à Deo accepimus, quàm vnquam reddere poterimus.

3. Non diligamus quicquam plus quàm Christum, sed vbi opus est, omnia abijciamus, vt Christum lucrifaciamus.

4. Non graue nobis sit in hac vita extremam pati paupertatem. Qui enim propter Chri-

stum

ſtum hic ignominiam & probra ſuſtinent, in illo die erunt in gloria.

5. Non exæquemus ſanctos mortuos Chriſto, vel in hac vel in futura vita, multò minus ipſos adoremus.

6. Non negligamus doctrinam Apoſtolorum. Secundum eam enim in illo die omnis mundus iudicabitur.

7. Non opinemur in regno Dei quicquam valere vllam prærogatiuam carnalem. Non minus enim tribus Iſraël quàm alij populi iudicabuntur.

8. Non nimium angamur, ſi temporalia amittimus. Reſtat enim alia vita, in qua æterna bona accipiemus.

9. Non abijciamus cum Anabaptiſtis bona à Deo nobis data, niſi in caſu confeſſionis ipſa hæc neceſſitas poſtulat.

10. Non conuiciemur cum Papiſtis coniugium, nec coniuges deſeramus, niſi propter Chriſtum hoc fieri neceſſe ſit.

11. Miſeri peccatores non dubitent de gratia Dei, multò minus prorſus deſperent. Poteſt enim ex Saulo perſecutore Paulus apoſtolus, & ex nouiſſimo primus fieri.

12. Non ſimus etiam ſecuri, nec nimium nobis tribuamus, ne exaltati humiliemur, & ex primo nouiſſimus fiat.

IN

IN DIE PVRIFICATIONIS Mariæ, Euangelium Luc. 2.

Posteaquam completi fuissent dies purgationis &c.

QVÆSTIONES SIMPLICES XXIX.

1. DE lege Mosi, & diuersis eius speciebus & partibus.
2. De diuersis speciebus legum Mosi.
3. De lege purificationis, eius caussis, & significationibus.
4. De sanctificatione primogenitorum, & eius origine.
5. De paruulis sustendis Domino.
6. De origine & caussis huius legis.
7. De diuersis victimis & oblationibus veteris testamenti.
8. De hostijs puerperarum, & earum significatione.
9. De peccato carnali generatione in omnes homines propagato.
10. De puero Iesu in templo.
11. De Simeone & Hanna.
12. De iustitia & fide Simeonis.
13. De consolatione Israëlis, qualis expectata sit.

14. De

14. De duplici aſpectu Chriſti. Simeon enim ipſum oculis corporis, & mentis intuitus eſt.
15. De teſtimonijs de Chriſto, quorum hîc plurima concurrunt. Non ſolum enim Simeon & Hanna, ſed Spiritus ſanctus ipſe per hos Chriſto teſtimonium perhibuit.
16. De Simeonis reſponſo, accepto à Spiritu ſancto.
17. De Chriſto vel Meſſia Domini.
18. De motibus Spiritus ſancti.
19. De agnitione Chriſti & eius fructibus.
20. De morte placida, & eius cauſſis.
21. De morte piorum, quid ſit, nempe liberatio ex carcere peccati, mortis, diaboli & inferni.
22. De pace & tranquillitate conſcientiæ, vnde ſit.
23. De ſalutari Domini.
24. De lumine nobis parato à Deo.
25. De officio Chriſti.
26. De regno Chriſti.
27. De beneficijs regni Meſſiæ.
28. De reuelatione gentium.
29. De gloria plebis Iſraël, vel prærogatiua Iudæorum.

CONIVNCTAE XX.

1. An Maria & filius eius Ieſus obligati fuerint ad obedientiam, quam legi præſtiterunt?

2. An

2. An lege Mosis hodie nostræ etiam puerperæ teneantur?

3. An partus per se sit immundus, & purificatione indigeat?

4. An victimæ & oblationes Mosaicæ habuerint vim mundandi à peccatis?

5. Quòd natura humana ab vtero sit polluta peccatis, & opus habeat purificatione.

6. Quòd Deus velit singulos homines pro suis facultatibus aliquid ad conseruationem ministerii conferre.

7. Quòd Simeon fiduciam suam, non in propria merita, sed in salutare Dei collocauerit.

8. Quòd vera piorum felicitas non consistat in caducis huius mundi bonis. Quia Christus à matre pauperrima nasci voluit.

9. Quòd Deus etiam pauperes & humiles erigat.

10. An Simeon operibus suis, an verò fide in Christum saluatus sit?

11. Quòd omnibus seculis in Israël consolator, vel saluator Messias expectatus sit.

12. Quòd sit officium Spiritus sancti reuelare Christum.

13. Quòd Spiritus sanctus in hominibus piis habitare, & mansionem facere velit.

14. Quòd Deus promissa sua fideliter præstet. Quia sicut dictum erat Simeoni, ita postea factum est.

15. Quòd

15. Quòd Iesus filius Mariæ, sit Christus vel Messias Domini.

16. Quòd sancti interdum peculiares Spiritus sancti motus sentiant, & ab eodem mirabiliter ducantur.

17. Quòd extra Christum nulla sit pax, aut conscientiarum tranquillitas.

18. Quòd beneficia Christi sint vniuersalia & ad omnes gentes pertineant.

19. Quòd Christus sit lux vera illuminans omnem hominem.

20. Quòd etiam gentes ad societatem Ecclesiæ pertineant.

ADHORTATIONES XIX.

1. Puerperæ parcant sibi & soboli, nec intempestiuis laboribus, intemperantia, aut alijs rationibus, sibi pericula accersant.

2. Receptas in Ecclesia ceremonias conseruemus & frequentemus.

3. Liberos nostros sistamus Domino, hoc est, agnoscamus eos esse donum Dei, & si sunt idonei, curemus eos in honestis artibus erudiri, vt aliquando Domino in vinea sua seruire possint, vel aliàs in pietate & honestate fideliter eos educemus.

4. Cùm Deus liberationis ex Ægypto perpetuam esse memoriam voluerit, nos etiam beneficiorum Christi nunquam non recordemur,

demur, & pro eis perpetuas gratias agamus.
5. Paruulos noſtros à primis ſtatim annis ad cultum Dei aſſuefaciamus.
6. Miniſterium verbi ſinguli ſuo loco, conſilio & re conſeruare ſtudeant.
7. Quæ miniſtris Eccleſiæ debemus, animo parato & facili ſoluamus.
8. Paupertatem patienter feramus. Teſtatur enim oblata hoſtia etiam matrem Domini pauperem fuiſſe.
9. In iuſtitia & ſanctitate omnibus diebus viuamus.
10. Et tamen morituri non in noſtram dignitatem, ſed in Chriſtum vnicum ſaluatorem omnem fiduciam ponamus.
11. Conſolationem Iſraël, quam omnes ſancti patres tanto deſiderio expectauerunt, cum gaudio ſuſcipiamus.
12. Chriſtum coram mundo conſtanter confiteamur.
13. Petamus à Deo, ne ſinat nos prius videre mortem, quàm Chriſtum ſaluatorem mundi.
14. Monitis Spiritus ſancti obtemperemus, & ad templum Domini ſæpè conueniamus.
15. Chriſtum in vlnas cordis noſtri cum gaudio ſuſcipiamus.
16. Agnitione Chriſti ad placidam nos mortem præparemus, & ex vita hac tanquã ſqualidiſſimo carcere, Deo nos auocante, in pace diſcedamus.

17. Be-

17. Beneficia Christi grata mente celebremus.

18. Lumen in Christo nobis accensum amplectamur.

19. Simus etiam grati Christo opere, pro immensis suis beneficijs.

DETESTATIONES XII.

1. Mariti non turbent aut impediant quietem puerperis necessariam, nec alias etiam inclementius eas tractent.

2. Inter multas alias enim huius legis causas, hæc etiam vna non postrema fuit, vt infirmæ mulierum naturæ consuleretur, & diebus purificationis puerperæ vires recolligerent.

3. Non grauemur legi præstare obedientiam, in his quæ ad nos etiam pertinent.

4. Non sistamus Diabolo liberos nostros, quòd certè faciunt omnes, qui in educatione diligentiam non adhibent.

5. Non negemus ministris Ecclesiæ debitum suum prætextu paupertatis. Quantumuis enim Mariæ etiam facultates exiguæ fuerunt: tamen adfert hostiam, quam lex dare præcipiebat.

6. Non audiamus eos, qui bonorum operum meritum in causa iustificationis nimium extollunt. Simeon enim iustus in solam consolationem Israel omnem fiduciam ponit.

7. Peccata contra conſcientiam fugiamus. Non enim habitat Spiritus ſanctus in impœnitentibus.

8. Salutaribus Spiritus ſancti admonitionibus non repugnemus.

9. Mortis horam non nimium metuamus. Qui enim Chriſtum agnoſcunt, mortem non guſtabunt, ſed placidè obdormient.

10. Non credamus eis, qui in mortis hora aliud nobis præſidium extra Chriſtum vel monſtrant vel offerunt.

11. Cum ſalutare Dei omnibus gentibus paratum ſit, non excludamus nos à gratia Dei.

12. Non proleui aut exigua gloria ducamus, quando nobis Deus lucē Euangelij accendit.

IN DIE MATTHIÆ APOſtoli, Euangelium Matth. 11.

Gratias ago tibi Pater Domine cœli &c.

QVÆSTIONES SIMPLICES XXII.

1. DE gratiarum actione Chriſti, & eius veris cauſſis.

2. De ſapientibus & prudentibus, quibus verbum Dei abſconditum eſt.

3. De paruulis quibus reuelatur.

4. De

4. De sapientia duplici, bona ac vitiosa.
5. De Ecclesia, qualis sit cœtus, & ex quibus colligatur.
6. De occultatione & reuelatione verbi & earundem veris caussis.
7. De voluntate Dei, secundum quam verbum sapientibus absconditur.
8. De omnipotentia & diuina Christi potestate.
9. De discrimine inter personam Patris & filij.
10. De differentia inter agnitionem Dei patris, quam habet filius, & eam, quam nobis communicat.
11. De agnitione Dei & eius caussis, vel mediis ducentibus ad hanc agnitionem.
12. De officijs Christi.
13. De labore & oneribus peccatorum pœnitentium.
14. De refectione Christi.
15. De iusto Dei iudicio, quo fit, vt contemptores verbi videntes non videant.
16. De iugo Christi.
17. De scandalo mundi, qui persona & officio Christi offenditur.
18. De humilitate duplici cordis & externorum gestuum.
19. De requie animarum, vbi & quomodo inueniatur.

20. Quid ſit tollere iugum Chriſti.
21. Quomodo iugum Chriſti commodum, & onus eius leue ſit.
22. De prædeſtinatione & electione Dei, & earundem cauſſis.

CONIVNCTAE XVIII.

1. An Deus nolit omnes homines ad agnitionem filij ſui peruenire?
2. An Deus ipſe abſcondat verbum ſuum aliquibus, vel, an ſit cauſa, quod multi Euangelium non recipiunt?
3. An Chriſtus lætetur de perditione hominum?
4. An prudentia aut ſapientia humana per ſe mala ſunt, & cognitionem Dei impediunt?
5. An ſapientes propter ſapientiam ſuam reijciantur à Deo?
6. Quòd ſapientia humana ex ſe non intelligat ſapientiam & conſilium de liberatione generis humani.
7. Quòd Deus ſemper aliquam ex genere humano colligat & conſeruet ſibi Eccleſiam.
8. Quòd Deus non reſpiciat perſonam, nec ſapientes vllam præ paruulis in regno Dei prærogatiuam habeant.
9. Quòd Deus infirma huius mundi eligere ſoleat.

10. Quòd

10. Quòd Christus sit verus Deus, & omnia in potestate sua habeat.

11. Quòd doctrina Euangelij ignota sit mundo.

12. Quòd omnium hominum studia, sapientia & vires non sufficiant ad veram Dei cognitionem.

13. Quòd extra Christum non sit salus, nec sine agnitione eius vspiam vlla vera Ecclesia.

14. Quòd vera Dei agnitio non sit opus carnis, nec nobiscum nascatur, sed ex sola doctrina Euangelij percipiatur.

15. An Christus filius Dei agnitionem patris sui æquè omnibus hominibus reuelare velit?

16. Quòd apud solum Christum inueniatur refectio & quies animarum.

17. Quòd promissiones Euangelij sint vniuersales, & omnibus hominibus remissionem peccatorum offerant.

18. An & quomodo iugum Christi commodum, & onus eius leue sit?

ADHORTATIONES XV.

1. Agamus Deo gratias, quòd inter tantas ruinas semper sibi aliquam Ecclesiam elegit, & hodiè adhuc conseruat.

2. Acquiescamus in simplici verbo Dei, vt inueniamur in numero paruulorum, quos Deus sibi elegit.

3. Sapientia & prudentia noſtra ita vtamur, ne ab Deo reijciamur.

4. Infirmis & paruulis eò etiam libentius inſeruiamus, quòd ex eis ſibi Deus membra Eccleſiæ colligit.

5. Bonam Dei voluntatem, quam in gratuita electione paruulorum patefacit, miremur, amplectamur & celebremus.

6. Inſignem hanc conſolationem, quòd Deus filio ſuo Chriſto redemptori noſtro omnia in manus tradidit, imis noſtris pectoribus infigamus.

7. Agnitionem Dei à Chriſto nobis dari petamus.

8. Euangelium, ex quo ſolo Deus rectè cognoſcitur, attentè & ſtudiosè audiamus.

9. Fidem in Chriſtum ex Euangelio confirmemus.

10. In doloribus conſcientiæ, & ſub onere peccati ad Chriſtum confugiamus, & ab ipſo nos refici petamus.

11. Onus peccatorum noſtrorum agnoſcamus, & à nobis in Chriſtum deriuatum credamus.

12. Iugum Chriſti tollamus, & patienter feramus.

13. A Chriſto patientiam in ferendis iniuriis, lenitatem in vlciſcendis vitijs, & humilitatem veram diſcamus.

14. Ani-

14. Animarum noſtrarum requiem expetamus & quæramus.

15. Sub cruce hanc conſolationem probè teneamus, quod iugum Chriſti commodum vel ſalutare, & onus eius leue ſit.

DETESTATIONES XIIII.

1. Ingratitudinis & contemptus verbi. Solet enim tandem Deus verbum ſuum contemptoribus abſcondere.

2. Non lætemur de aliorum perditione, ſicut ne Chriſtus hìc de hominum exitio, ſed potius de Eccleſię conſeruatione lætatur, & gratias patri agit.

3. Non abutamur noſtra ſapientia contra Deum & verbum eius.

4. Non etiam ſuperbiamus propter dona noſtra. Quia ſæpè præ ſapientibus paruuli eliguntur.

5. Non opponamus nos expreſſo verbo Dei, qui enim in myſterijs diuinis iudicio ſuo nimium tribuunt, in denſiſſimas tenebras incidunt.

6. Non impediat nos humilis noſter reſpectus, quò minus ad Deum accedamus.

7. Non offendamur, ſi hodiè adhuc humiles eligi, ſapientes verò reijci videmus.

8. In acquiſitione veræ agnitionis Dei, non pendeamus ex nobis, ſed ſolo Dei verbo.

9. In conſcientiæ dolore, & laboribus non deſperemus. Chriſtus enim omnibus venientibus ad ſe refectionem promittit.

10. Requiem animarum non apud nos, vel alios homines, ſed ſolum Chriſtum quæramus.

11. Non rideamus comminationes de pœnis peccatorum, nec conſcientiæ dolores extenuemus. Chriſtus enim hæc omnia grauiſſimo oneri, & labori duriſſimo comparat.

12. Non abijciamus à nobis iugum Chriſti, cùm nobis neceſſarium, vtile & per ſe leue ſit.

13. Superbiam & vindictæ cupiditatem fugiamus.

14. In aduerſis non murmuremus, nec ſpem omnem deponamus. Chriſtus enim faciet, vt onus ſuum nobis leue fiat.

IN DIE ANNVNCIATIONIS Mariæ, Euangelium Luc. 1.

In menſe autem ſexto &c.

QVÆSTIONES SIMPLICES XXVI.

1. DE miſericordia Dei, donantis nobis filium cum adhuc inimici eius eſſemus.

2. De angelis & diuerſis eorum officiis, quorum

rum pleraq; ex nominibus deprehendantur.
3. De Maria, eius stirpe, & virtutibus.
4. Cur Christus in Nazareth concipi voluerit.
5. De dignitate coniugij. Quia Christus à virgine desponsata viro concipi voluit.
6. De Ioseph.
7. De tribu Dauidis, & cur ex ea Christus natus sit.
8. De salutatione Angeli.
9. De gaudio & lætitia mentis, quam Mariæ Angelus precatur.
10. De varijs Angelorum apparitionibus.
11. De prærogatiuis, quas Maria præ aliis mulieribus habuit.
12. De turbatione vel consternatione Mariæ.
13. De conceptione Christi, vel incarnatione, quid sit.
14. De nomine IESV.
15. De Christo filio Mariæ, qualis sit.
16. De sede Dauidis data CHRISTO, qualis fuerit.
17. De regno Christi.
18. De domo Iacob, vel Ecclesia Christi.
19. De cæcitate rationis humanæ in perscrutandis mysterijs sacris.
20. De caussis conceptionis Christi, de quibus dicit: Spiritus sanctus superuenier in te,

& virtus altissimi obumbrabit tibi.
21. De virtute altissimi, vel omnipotentia Dei.
22. De Elisabetha, & eius sterilitate.
23. De conceptione Ioannis Baptistæ.
24. De certitudine verbi diuini. Quia apud Deum non est impossibile omne verbum.
25. De simplici fide Mariæ dicentis: Fiat mihi secundum verbum tuum.
26. De voto & precatione Mariæ.

CONIVNCTAE XVIII.

1. Quòd fructus ventris sit donum Dei.
2. Quòd Deus etiam anus steriles fœcundas reddere possit.
3. Quòd Angeli de salute generis humani verè lætentur.
4. Quòd coniugium sit ordinatio Dei.
5. Quòd Christus sit promissus Messias, siquidem ex virgine, & quidem de tribu Dauidis, secundum prophetarum vaticinia natus est.
6. An Maria sit æquali cum Deo gloria adoranda & veneranda ideò, quod ab Angelo benedicta inter mulieres dicitur?
7. Quòd Angeli nonnunquam formam visibilem induere, & in ea hominibus apparere possint.
8. Quòd omnia opera Dei in nobis ita fiant, vt pri-

vt primùm expaueſcamus, deinde conſolatione rurſus erigamur.

9. Quòd Maria, vt reliqui homines, in peccatis concepta & nata, & gratis ſine operibus legis ſaluata ſit, quia dicit: Inueniſti gratiam.

10. Quòd Chriſtus non ex virili ſemine, ſed Spiritu ſancto conceptus ſit.

11. Quòd Chriſtus ſit verus Dei & Mariæ filius, & in vna perſona Deus & homo.

12. Quòd Chriſtus ſit vnicus ſaluator hominum.

13. Quòd regnum CHRISTI non ſit de hoc mundo, ſed cœleſte & æternum.

14. Quòd poſt hanc vitam reſtet alia & æterna. Eum enim, qui rex æternus eſſe perhibetur, neceſſe eſt in æternum etiam habere ſubditos.

15. Quòd ratio humana non aſſequatur cœleſtia, ſed ſemper inquirere ſoleat, quomodo hoc vel illud fieri poſſit.

16. Quòd Chriſtus ſit conceptus & natus ſine peccato. Propter quod ſanctum ab Angelo hic vocatur.

17. Quòd Chriſtus veram carnem de carne Mariæ aſſumſerit, nec eam de cœlo attulerit, vt hæretici quidam ſomniarunt.

18. Quòd Deus ſit omnipotens, & apud eum poſſibile, imò facile omne verbum.

AD-

ADHORTATIONES XX.

1. Simus parati inſeruire Chriſto & proximo, cùm Angeli hoc ipſum magna alacritate animi fecerint.

2. Coniugium & pios coniuges debito modo honoremus.

3. Virgines ſint honeſtæ, caſtæ, & ſacrarum literarum ſtudioſæ. Talem enim fuiſſe Mariam ex cantico eius apparet.

4. In acceſſu hominum obſeruetur pudor, & reuerentia cuiuis ætati & ſtatui hominum conueniens.

5. Sexum muliebrem debito honore afficiamus.

6. Virgines ſint pudicæ & parcæ verborum. Priuſquam enim Maria Angelo reſpondet, turbatur & diligenter cogitat, qualis ſit eius ſalutatio.

7. Verba Dei probè perpendamus.

8. Turbatos conſolemur & erigamus.

9. In omni tentatione vel conſcientiæ pauore, hac nos conſolatione ſuſtentemus, quòd quærentes inuenient gratiam apud Deum.

10. Myſterium incarnationis Chriſti non ſcrutemur, ſed ſimplici corde veneremur & adoremus.

11. Chriſtum agnoſcamus & credamus eſſe Dei & Mariæ filium, Ieſum & ſaluatorem noſtrum.

12. Contra diaboli insultus consolationem hanc teneamus, quòd Christus est Rex æternus & filius altissimi.

13. Petamus quidem declarationem eorum, quæ non intelligimus, ita tamen, ne verbo Dei contradicamus.

14. Simplici animo quærentes rectè instituamus, sicut Angelus hic Mariam de modo conceptionis Christi docet.

15. Ex morte & passione Christi eò etiam maiorem consolationem accipiamus, quòd Angelus hic ei innocentiæ & sanctitatis testimonium perhibet.

16. Coniuges sobolem à Deo petant. Potest enim Deus sterilem facere matrem filiorum lætantem.

17. Et hoc etiam Dei opus inter testimonia omnipotentiæ eius numeremus.

18. Credamus verbis diuinis, etiam si rationi ignota proponunt. Apud Deum enim non est impossibile omne verbum.

19. Voluntati diuinæ nos subijciamus, dicentes: Fiat mihi secundum verbum Dei.

20. Negotijs nostris expeditis tempestiuè etiam rursus discedamus ab eis, ad quos missi fuimus.

DETESTATIONES X.

1. Non contemnamus humilia. Quia Christus

ſtus in Nazareth loco humili, & quidem à matre humillima concipi & naſci voluit.

2. Non audiamus Papiſtas & alios conuitiãtes coniugiũ & pios cõiuges. Vult enim Deus cõiugiũ honorabile eſſe apud omnes homines.

3. Non grauemur ex Dei mandato hominibus etiam infirmis inſeruire, cum Angeli idipſum fecerint.

4. Non mox attollant oculos, aut impudenter reſpondeant virgines ad quoduis nuncium, ſed prius conſiderent, quid maximè deceat, & Deus etiam fieri velit.

5. Non turbemur, vbi metus nulla vera eſt cauſſa.

6. Non audiamus ſomnia & mendacia Iudæorum, quæ de conceptione & regno Chriſti impudenter ſpargunt.

7. Non offendamur humili Chriſti forma, quia eſt filius altiſſimi, & rex ſempiternus.

8. Non dicamus Deo, quomodo erit iſtud? ſed in expreſſo eius verbo ſimpliciter acquieſcamus.

9. Diſcendi quidem gratia quæramus, ſed non finaliter contradicamus rectè monenti.

10. Non efferamur, aut ſuperbiamus, ſi quãdo Deus nos præ alijs hominibus extollit, aut donis ſuis ornat. Maria enim tunc etiam, cum matrem Meſſiæ ſe eſſe ſciret, ſeſe ancillã Domini eſſe adhuc agnoſcit & fatetur.

FERIA

FERIA SECVNDA PAschæ, Euangelium Luc. 24.

Et ecce duo ex illis ibant, &c.

QVÆSTIONES SIMPLICES XXXII.

1. DE imbecillitate humana, & infirmitate duorum discipulorum.
2. De incommodis vel effectibus dubitationis.
3. De pijs colloquiis, & eorum commodis.
4. De resurrectione Christi.
5. De varijs post resurrectionem Christi apparitionibus.
6. De intellectu verborum. Oculi eorum tenebantur.
7. De mœstitia discipulorum.
8. De confessione eorum, qua Christum Prophetam, potentem opere & sermone fuisse prædicant.
9. De morte Christi.
10. De sacerdotum odio aduersus Christum.
11. De spe discipulorum.
12. De redemptione Israël, qualem speraverint.
13. De prauitate cordis humani, quod nonnunquam etiam ex lætissimo nuncio metum concipere solet.

14. De ſtultitia & tarditate cordis humani.
15. De certitudine ſcriptorum Propheticorum.
16. De gloria Chriſti.
17. De mirabili eius ingreſſu ad hanc gloriam.
18. De explicatione ſacræ ſcripturæ qualis eſſe debeat.
19. De ardore amoris Chriſti.
20. De fractione panis.
21. De gratiarum actione Chriſti.
22. De apertione oculorum.
23. De agnitione Chriſti.
24. De diſparitione Chriſti.
25. De clarificato corpore Chriſti.
26. De eius proprietatibus.
27. De clarificatione noſtrorum corporum poſt reſurrectionem.
28. De efficacia verborum Chriſti.
29. De ardore cordium ſub ſacris concionibus.
30. De incrementis fidei.
31. De eiuſdem effectibus.
32. De apertione ſcripturæ.

CONIVNCTAE XXV.

1. Quòd non rarò in ijs etiam, qui ſibi firmiſſimi videntur, tempore tentationis fides deficiat.

2. Quòd

2. Quòd metus & dubitationes nos nusquam quietos & tutos esse sinant.

3. Quòd Christus pijs colloquiis verè interesse velit.

4. An Christus cum periculo salutis nostræ oculos nobis tenere soleat?

5. Quòd vera Christi agnitio non sit opus carnis, nec viribus humanis impetrari possit.

6. Quòd Christus linum fumigans non extinguat, sed fidem modicam conseruet & augeat.

7. An CHRISTVS interrogans nesciuerit de quibusnam rebus discipuli inter se conferant?

8. Quòd Iudæi contra conscientiam ad mortem damnauerint eum, quem omnis populus Prophetam potentem opere & sermone esse agnoscebat.

9. Quòd etiam discipuli, opinionem de regno Christi mundano, difficulter abijcere potuerint.

10. Quòd fides nostra mox deficiat, quando Deus opera sua modo rationi ignoto perficere incipit.

11. Quòd mora etiam nonnunquam fidem nostram exercere & impedire possit.

12. Quòd corda humana semel metu occupata semper pessima metuant, & bonum nuncium siniſtrè accipiant.

14. De ſtultitia & tarditate cordis humani.
15. De certitudine ſcriptorum Prophetico-rum.
16. De gloria Chriſti.
17. De mirabili eius ingreſſu ad hanc gloriam.
18. De explicatione ſacræ ſcripturæ qualis eſſe debeat.
19. De ardore amoris Chriſti.
20. De fractione panis.
21. De gratiarum actione Chriſti.
22. De apertione oculorum.
23. De agnitione Chriſti.
24. De diſparitione Chriſti.
25. De clarificato corpore Chriſti.
26. De eius proprietatibus.
27. De clarificatione noſtrorum corporum poſt reſurrectionem.
28. De efficacia verborum Chriſti.
29. De ardore cordium ſub ſacris concionibus.
30. De incrementis fidei.
31. De eiuſdem effectibus.
32. De apertione ſcripturæ.

CONIVNCTAE XXV.

1. Quòd non rarò in ijs etiam, qui ſibi firmiſſimi videntur, tempore tentationis fides deficiat.

2. Quòd

2. Quòd metus & dubitationes nos nusquam quietos & tutos esse sinant.

3. Quòd Christus pijs colloquiis verè interesse velit.

4. An Christus cum periculo salutis nostræ oculos nobis tenere soleat?

5. Quòd vera Christi agnitio non sit opus carnis, nec viribus humanis impetrari possit.

6. Quòd Christus linum fumigans non extinguat, sed fidem modicam conseruet & augeat.

7. An CHRISTVS interrogans nesciuerit de quibusnam rebus discipuli inter se conferant?

8. Quòd Iudæi contra conscientiam ad mortem damnauerint eum, quem omnis populus Prophetam potentem opere & sermone esse agnoscebat.

9. Quòd etiam discipuli, opinionem de regno Christi mundano, difficulter abijcere potuerint.

10. Quòd fides nostra mox deficiat, quando Deus opera sua modo rationi ignoto perficere incipit.

11. Quòd mora etiam nonnunquam fidem nostram exercere & impedire possit.

12. Quòd corda humana semel metu occupata semper pessima metuant, & bonum nuncium siniſtrè accipiant.

13. Quòd Christus non casu, sed certo Dei consilio & iuxta prophetarum oracula passus & mortuus sit.
14. Quòd regnum Christi in hoc mundo sit regnum crucis.
15. Et quòd per multas tribulationes nos in regnum Dei ingredi oporteat.
16. Quòd etiam Moses & Prophetæ de Christo testimonium perhibuerint.
17. Quòd sacra scriptura pia declaratione enarrari possit & debeat.
18. Et quòd omnis explicatio fidei analoga esse debeat.
19. Quòd Christus infirmos in fide ad tempus probare & exercere soleat.
20. Quòd Christus à nobis non agnoscatur, nisi prius oculi mentis aperiantur.
21. Quòd natura humana in Christo multas habeat præ aliis hominibus prærogatiuas.
22. Quòd Spiritus sanctus per verbum in cordibus hominum verè sit efficax.
23. Quòd Christus ex verbis & fractione panis, vel sacramentorum vsu hodiè adhuc in Ecclesia cognoscatur.
24. Quòd fides vera non taceat, sed alios etiam de Christo doceat, vt dicitur: Credidi, propter quod locutus sum.
25. Quòd Christus verè à mortuis resurrexerit.

AD-

ADHORTATIONES XXII.

1. Ad pia & salutaria colloquia, quibus Christus se hodiè adhuc interfuturum promittit.

2. Appropinquemus eis, quos vel in Ecclesia, vel alibi sacra tractare audimus.

3. Infirmos in fide erigamus, & erudiamus.

4. Tristibus, & mente turbatis ex verbo Dei firmas consolationes proponamus.

5. Occasiones salutarium admonitionum & doctrinarum diligenter obseruemus.

6. De hominibus pijs etiam post mortem benè sentiamus & loquamur.

7. Consideratione miraculorum Christi, fidem in nobis confirmemus.

8. Promissionibus de Christo & regno eius credamus, quantumuis etiam rationi contraria affirmare videantur.

9. Christum verè resurrexisse firmiter credamus.

10. Incredulitatem & tarditatem cordis nostri agnoscamus & deploremus, fidemq; nobis augeri petamus.

11. Prophetarum scripta verissima esse sciamus.

12. Regnum Christi in hac vita, crucis regnum esse discamus.

13. Et ad ferendam crucem ſanctam nos præparemus.

14. Ignaros & rudes ducamus per ſcripturas, & inde fidem eorum informemus.

15. Scripturam ſalutari & ſincera doctrina explicemus.

16. Chriſtum aſſiduè oremus, vt in hac ſenecta & veſpera mundi nobiſcum maneat.

17. Peregrinos & hoſpites in domum introducamus, præſertim domeſticos fidei.

18. Panem cum gratiarum actione ſumamus, & alijs etiam frangamus.

19. Ex verbo & ſacramentorum vſu Chriſtum cognoſcere ſtudeamus.

20. Oculos nobis aperiri & agnitione Chriſti illuſtrari petamus.

21. Conciones ſacras eò etiam libentius audiamus, quòd Chriſtus per verbum hodiè adhuc vult eſſe in nobis efficax, & fidem accendere.

22. Chriſti reſurrectionem celebremus, & apud alios prædicemus.

DETESTATIONES XVII.

1. Incredulitatis. Ea enim impulſos fuiſſe hos diſcipulos ad hoc iter, conſentaneum eſt.

2. Impudicorum colloquiorum, quibus ſine dubio diabolus ipſe intereſt.

3. Non grauemur accedere, docere & confirmare infirmos in fide.

4. Fateamur etiam ignorantiam nostram, vt citius & rectius nobis consuli possit.

5. Non approbemus diabolica & cruenta consilia impiorum, quantumuis potentum in hoc mundo.

6. Non abijciamus mox spem omnem, etiamsi opera Christi, contraria iudicio nostro ratione, fieri videntur.

7. Non impediat nos mora, quò minus credamus expressis Christi verbis.

8. Non turbemur nuncio bono, etiamsi interdum periculo non caret.

9. Angelorum verbis fidem adhibeamus.

10. Tarditatem & stultitiam cordis nostri non defendamus.

11. Non offendamur morte & passione Christi, quia oportuit sic fieri.

12. Christum simulantem abitum non mox dimittamus, sed retinere nobiscum studeamus.

13. Non graue nobis sit etiam longiorem moram facere apud eos, quibus sacra colloquia grata esse animaduertimus.

14. Non negligamus accumbere cum Christo in cœna sacra.

15. Non rideamus ea, quæ de Spiritus sancti motibus scriptura affirmat. Certum enim est,

ſanctos ſentire eos, vt hic dicitur. Nonne ardebat cor noſtrum?

16. Non indulgeamus incredulitati, ſed eluctari & vincere dubitationes conemur.

17. Non reticeamus ea, quæ Deus in verbo ſuo nobis manifeſtauit, ſed de eis ſæpè & libenter cum aliis colloquamur.

FERIA TERTIA PASCHÆ, Euangelium Luc. 24.

Dum autem hæc loqueretur &c.

QVÆSTIONES SIMPLICES XXI.

1. DE reſurrectione Chriſti.
2. De eiuſdem varijs apparitionibus.
3. De pace Chriſti.
4. De metu diſcipulorum.
5. De ſpiritibus & ſpectris.
6. De infirmis in fide.
7. De miſericordia & bonitate Chriſti erga lapſos.
8. De corpore Chriſti glorificato.
9. De veſtigijs clauorum, & cur Chriſtus ea retinuerit.
10. De differentia corporum & ſpirituum.
11. De gaudio diſcipulorum.

12. De varijs fidei impedimentis.
13. De ſignis confirmantibus fidem.
14. De certitudine verborum Chriſti.
15. De authoritate Moſis, Prophetarum & Pſalmorum.
16. De apertione ſenſus.
17. De intellectu ſcripturæ, vnde ſit.
18. De miniſterio Euangelij.
19. De pœnitentia.
20. De remiſſione peccatorum.
21. Cur Chriſtus voluerit prædicationem Euangelij inchoari Hieroſolymis.

CONIVNCTAE XV.

1. Quòd Chriſtus infirmos in fide non velit abijcere, ſed verbo ſuo confirmare.
2. Quòd ſolus Chriſtus ſua nobis reſurrectione det & adferat pacem veram.
3. An ingreſſus per ianuas clauſas non pugnet cum veritate corporis Chriſti?
4. Quòd ſint ſpiritus & ſpectra varia.
5. Quòd Chriſtus in reſurrectione non depoſuerit corpus humanum ſemel aſſumptũ.
6. Quòd Chriſtus veſtigia clauorum etiam poſt reſurrectionem in manibus & pedibus ſuis retinuerit.
7. Quòd caro Chriſti non ſit conuerſa vel mutata in diuinitatem.
8. Quòd ſpiritus non habeant carnẽ & oſſa.

9. An corpori Christi post resurrectionem opus fuerit cibo & alimentis?
10. Quòd oportuerit Christum pati.
11. Quod Moses, Prophetæ & Psalmi de Christo vaticinati sint.
12. Quòd sacra scriptura, quam hodie adhuc habemus & legimus, sit vnicum & verum Dei verbum.
13. Quòd verus intellectus scripturæ sit donum Dei, & opus Spiritus sancti.
14. Quòd in solo nomine Christi & non alio pœnitentiam & remissionem peccatorum prædicari oporteat.
15. Quòd prædicatio Euangelij sit vniuersalis & ad omnes gentes pertineat.

ADHORTATIONES XI.

1. De resurrectione Christi & alijs fidei articulis propterea etiam libentius colloquamur, vt nobiscum mansionem Dominus faciat.
2. Ex Euangelio Christi annunciemus pacem omnibus credentibus.
3. In conscientiæ turbatione pacem Christi vera fide apprehendamus.
4. Dubios in fide, verbo & sacramentis confirmemus, sicut Christus hic post annunciatam pacem manus & pedes discipulis ostendit.

5. Ver-

5. Verba Christi fideliter retineamus, & probè obseruemus, ne in tentationibus fides nostra deficiat.

6. Libros Mosi, Prophetarum & Psalmos diligenter legamus, & quæ in eis continentur, fide firma accipiamus.

7. A Christo illuminationem mentis & oculorum nostrorum petamus.

8. Intellectum scripturæ, Dei donum esse agnoscamus, & pro eo gratias agamus.

9. Concionem legis cum doctrina Euangelij perpetuò coniungamus.

10. Remissionem peccatorum annunciemus omni populo.

11. Amplectamur etiam vtranq; partem doctrinæ, tam legem quàm Euangelium.

DETESTATIONES XIIII.

1. Pusillanimitatis & metus immodici. Ideo enim Christus discipulis suis pacem nunciat, quòd magnam in cordibus eorum luctam esse animaduertebat.

2. Non molestum nobis sit visitare & consolari miseros peccatores, cùm Christum etiam hoc fecisse audiamus.

3. Non etiam mox abijciamus infirmos in fide. Quia Christus ipse diligentissimè oues perditas quæsiuit.

4. Non indulgeamus nimium carnis nostræ

prauis cogitationibus. Quia Christus hîc reprehendit discipulos propter cogitationes, quas in cordibus eorum ascendere videt.
5. Non imaginemur nobis tantum fidei robur, vt vsu sacramentorũ & alijs signis fidem confirmantibus carere possimus. Quia Christus hîc discipulis suis manꝰ & pedes mõstrat.
6. Non decipiamur spectris & lusu diaboli.
7. De Christi resurrectione tot modis & manifestationibus comprobata, nunquam dubitemus.
8. Non mox obliuiscamur eorum, quæ in verbo Dei nobis proponuntur. Inde enim est apud discipulos metus & dubitatio, quod cõciones Christi surdis quasi auribus audierant.
9. Non offendamur passione & morte Christi. Quia hac ratione scripturam impleri oportuit.
10. Non molestum nobis sit legere in Mose, Prophetis & Psalmis, cùm Christus diuina sua voce virtutem eorum nobis commendet.
11. Non dubitemus de carnis nostræ resurrectione. Quia de ea etiam in Mose, Prophetis & Psalmis testimonia extant.
12. Non ægrè feramus necessariam peccatorum nostrorum reprehensionem. Vult enim Christus prædicari pœnitentiã omni populo.
13. Non etiam desperemus in peccatis. Quia vult cum doctrina legis etiam coniungi promissio-

missionem Euangelij & gratiæ.

Nemo se indignũ esse gratia Dei iudicet, seipsum à gratia excludat. Quia vult Christus annunciari Euangelium omni populo.

IN FESTO PHILIPPI ET Iacobi Apostolorum, Euangelium Ioh. 14.

In illo tempore dixit Iesus discipulis suis: Ne &c.

QVÆSTIONES SIMPLICES XIIII.

1. DE fide in Deum.
2. De fide in Christum.
3. De domo patris, quæ & vbi sit.
4. De mansionibus in hac domo, an & quales sint.
5. De fructu mortis Christi,
6. De resurrectione.
7. De ascensione Christi.
8. De reditu Christi in die iudicij.
9. De vita æterna, quòd & quid sit.
10. De Christi persona & officio ex dicto. Ego sum via veritas & vita.
11. De vera Dei agnitione, quæ sit.
12. De fine operum & miraculorum Christi.
13. De miraculis credentium.

14. De

14. De forma precationis.

CONIVNCTAE XV.

1. Quòd Christus sit verus Deus.
2. Quòd solus CHRISTVS parauerit nobis mansiones in vita æterna.
3. Quòd etiam in Apostolis reliqua fuerit magna ignorantia.
4. Quòd Christus sit vera & vnica via ad patrem.
5. Quòd homines carnales non assequantur cœlestia.
6. Quòd omnia verba Christi sint ipsa veritas.
7. Quòd Christus sit dator vitæ æternæ.
8. Quòd diuinæ essentiæ vnitatem non tollat trinitatis personarum.
9. Quòd extra Christum non sit vera Dei agnitio.
10. An Deus oculis carnalibus videri possit?
11. Quòd Christus sit coëssentialis & æqualis patri.
12. Quòd Christus non doceat aliena à patre, vel pugnantia cum verbo Dei.
13. Quòd opera Dei ad extra sint communia tribus personis.
14. An & quomodo credentes faciant maiora Christi operibus?
15. Quòd Christus exaudiat preces nostras.

AD-

ADHORTATIONES IX.

1. Ad fortitudinem & patientiam in cruce. Quia Christus verus Deus adest nobis consolator, opitulator & liberator.
2. Ad fidem in Christum.
3. Ad spem vitæ futuræ.
4. Ad diligentiam in erudiendis auditoribus nostris.
5. Ad mansuetudinem in tolerandis infirmis.
6. Ad veram Christi cognitionem.
7. Ad obedientiam & fidem simplicem, acquiescentem in verbo veritatis.
8. Ad sobriam considerationem miraculorum Christi.
9. Ad inuocationem Christi.

DETESTATIONES IX.

1. Immodici pauoris & metus in aduersis.
2. Oscitantiæ & ignorantiæ humanæ, qua fit, vt diu quidem multa homines audiant, pauca verò discant & percipiant.
3. Cæcitatis eorum, qui alias sibi, extra Christum vias ad patrem eligunt.
4. Stultæ præsumptionis humanæ, quæ in rebus sacris plus sibi, quàm verbo veritatis credit & tribuit.
5. Pusillanimitatis eorum, qui in hora mortis nimium turbantur, neque Christum vitam suam esse credunt. 6. In-

6. Incredulitatis humanæ, quæ non vult in verbo acquieſcere, ſed oculis omnia intueri.
7. Blaſphemiarum Iudæorum, Turcarum & aliorum, qui extra Chriſtum Deum quærunt, & filium in patre eſſe negant.
8. Peruerſitatis & negligentiæ eorum, qui neque verbis neque miraculis Chriſti mouentur.
9. Idololatriæ ſub Papatu vſitatiſſimæ. Non enim in Chriſti, ſed aliorum nomine Deum inuocarunt.

IN DIE ASCENSIONIS Domini, Euangelium Marc. 16.

Undecim diſcumbentibus, &c.

QVÆSTIONES SIMPLICES XIIII.

1. DE apparitionibus CHRISTI & earum cauſſis.
2. De duritie cordis humani, qualis & vnde ſit.
3. De Euangelio.
4. De miniſterij Euangelici inſtitutione, partibus & fine.
5. De Baptiſmi inſtitutione & effectibus.
6. De cauſſis æternæ damnationis.

7. De

7. De effectibus fidei, ex verbis: Hos qui in me credunt, hæc signa sequentur.
8. De signorum doctrinam Euangelij confirmantium, causſis & finibus.
9. De eiectione diabolorum, quotuplex sit.
10. De dono linguarum & eius finibus.
11. De cœlo, in quod Christus ascendit, quale sit.
12. De Ascensionis forma, causſis & finibus.
13. De sessione ad dextram patris, qualis sit.
14. De efficacia Dei per ministerium, quòd sit, vel an sit Deus efficax per ministerium?

CONIVNCTAE XI.

1. An promissiones Euangelij sint vniuersales?
2. An distinctio inter Iudæos & gentes post Christi aduentum cessauerit?
3. An semper, & apud omnes homines prædicatio Euangelij necessariò baptismum præcedere debeat, sicut Anabaptistæ contendunt?
4. An omnes baptizati saluentur?
5. An omnes, qui antequam baptizari possunt, moriuntur, damnandi sint?
6. An hodiè adhuc necesse sit doctrinam Euangelij nouis confirmari miraculis?
7. An eiectio diabolorum sit sufficiens & euidens de certitudine doctrinæ testimonium?

8. An

8. An ſtudium diuerſarum linguarum ſit licitum & neceſſarium?

9. An peccent, qui ſcientes & volentes lethale aliquid bibunt?

10. An doctrina carens miraculis ſit recipienda?

11. An Euangelium, ſine antecedente legitima vocatione, in omnibus locis predicare liceat?

ADHORTATIONES IX.

1. Ad aſſiduitatem in confirmandis & erudiendis his, qui de aliquo adhuc fidei articulo dubitant.

2. Ad fidelem propagationem doctrinæ Euangelij.

3. Ad legitimam ſacramentorum adminiſtrationem.

4. Ad fidem, ſine qua ſacramenta non proſunt.

5. Ad amplectendam doctrinam Euangelij, quæ tot ſignis & miraculis obſignata eſt.

6. Ad fortitudinem in ſubeundis & ferendis miniſterij oneribus & periculis, quia dicitur: Si quid lethale biberint &c.

7. Ad ſolennem celebrationem aſcenſionis Chriſti, wie man die Himmelfahrt Chriſti bedencken/vnd wie man ſie begehen ſoll.

8. Ad ſpem in aduerſis. Quia habemus Chriſtum

stum in cœlis ad dexteram patris.

9. Ad alacritatem in laboribus ministerij. Quia Dominus cooperatur, & efficacem reddit sermonem nostrum.

DETESTATIONES V.

1. Incredulitatis & dubij, de resurrectione Christi.

2. Contemptus Euangelij, quod Deus pro sua misericordia iussit proponere omni creaturæ.

3. Contemptus sacramentorum, quorum vsum hîc Christus salutarem & necessarium facit, dicens: Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit.

4. Cæcitatis & petulantiæ eorum, qui hodiè adhuc signa petunt. Wollen hören/ worauff die zuhörer jhren Glauben gründen sollen/ auff s wort oder zeichen.

5. Peruersi studij eorum, qui tantùm terrena quærunt, cùm tamen Paulus ideò, quòd Christus ascenderit in cœlos, cœlestia nos quærere iubeat.

FERIA II. PENTECOSTES,

Euangelium Ioh. 3.

Sic Deus dilexit mundum, vt filium &c.

QVÆSTIONES SIMPLICES X.

1. DE amore Dei erga nos, qualis & quantus sit.
2. De caussis impulsiuis, & finalibus missim hunc mundum filij Dei.
3. De caussa efficiente iustitiæ & vitæ æternæ. Vel quibus & propter quid detur.
4. De caussis damnationis multorum, vel vnde sit, quòd multi damnantur, cùm tamen Deus filium suum omnibus hominibus in mundo miserit.
5. De iudicio incredulorum, quale sit.
6. Quomodo & cur Christus dicatur lux.
7. De tenebris & amore tenebrarum, quid sit.
8. De caussis contemptus Christi & Euangelij, quæ indicantur in his verbis: Homines magis dilexerunt tenebras, quàm lucem, quia opera eorum mala erant.
9. De cœcitate & miseria generis humani, quod naturaliter magis diligit tenebras, quã lucem, hoc est, in fide & vita citius sequitur mendacia, quàm veritatem Dei.
10. De bonis operibus, & eorum caussis.

CONIVNCTAE X.

1. An mereamur dilectionem & gratiam Dei nostris operibus?
2. Quòd Christus sit vnigenitus filius Dei.

3. Quòd

5. Quòd vita æterna sit gratuitum Dei donum.

4. An fides sua dignitate, aut sola applicatione meriti Christi, nos iustificet?

5. An & quomodo hæc verba: Non misit Deus filium suum vt iudicet mundum: conueniant cum illis, quæ infra cap. 5. sequuntur. Pater non iudicat quenquam, sed omne iudicium dedit filio?

6. Cur hìc tantùm de incredulis dicatur, esse eos iudicatos, cum constet non minus etiam alia peccata digna esse iudicio Dei?

7. Num ante Christum natum sancti patres etiam ambulauerint in luce?

8. Quòd omnium hominum opera adducta in lucem, vel collata cum verbo Dei, inueniantur mala.

9. An necesse sit facere bona opera, cum hìc soli credentes beati prædicentur?

10. An & quatenus liceat bona opera prædicare & extollere, cum hic dicatur: Qui facit veritatem, venit ad lucem, vt manifestentur opera eius.

ADHORTATIONES X.

1. Ad gratitudinem pro immenso Dei amore erga nos.

2. Ad fidem in Christum.

3. Ad cognitionem, studium & obsequium Euangelij.

4. Ad fiduciam & ſpem firmam in Deum. Cum enim filium ſuum nobis dederit, an non cum eo, etiam omnia alia nobis daret?

5. Ad fortitudinem in lucta ſpirituali, contra omnes diaboli peccati & mortis tentationes. Miſit enim Deus filium, non vt iudicaret, ſed vt ſaluum faceret mundum.

6. Ad amorem lucis, vel ſanæ doctrinæ.

7. Ad ſtudium bonorum operum.

8. Ad obedientiam erga eos, qui pro ratione officij ſui mala noſtra opera arguunt.

9. Ad candorem & veritatem in dictis & factis.

10. Ad timorem Dei & iudicij diuini.

DETESTATIONES VIII.

1. Denſiſſimæ cæcitatis Phariſæorum, Papiſtarum & aliorum, qui neque amorem patris, neque beneficia filij Dei agnoſcunt, ſed faſcinati opinione propriæ ſanctitatis vtrunque negligunt, non ſine iactura æternæ ſalutis.

2. Ingratitudinis pro beneficijs filij Dei.

3. Abuſus gratiæ diuinæ, qui enim diuitias bonitatis diuinæ contemnunt, aut longanimitate Dei abutuntur, & peccatis indulgent, theſaurizant ſibi iram in die reuelationis iuſti iudicij Dei, Rom. 2.

4. Securitatis eorum, qui nullum reſtare diem iudicij opinantur.

5. Incredulitatis in Chriſtum, quæ omnium peccatorum maximum eſt. Increduli enim non tantùm beneficia & amorem Dei negligunt, ſed ipſum inſuper vnigenitum Dei filium contumelia afficiunt.

6. Contemptus Euangelij & ſacrarum concionum vſitatiſſimi in mundo.

7. Tenebrarum & amoris earum.

8. Peruerſitatis eorum, qui propter peccata ſua nolunt taxari, & omnes ſalutares admonitiones fugiunt.

FERIA III. PENTECOSTES, Euangelium Ioh. 10.

Amen amen dico vobis, qui non intrat &c.

QVÆSTIONES SIMPLICES XIII.

1. DE ouili, vel Eccleſia Dei.
2. De ianua eius, quænam ſit.
3. De paſtore fideli.
4. De furibus & latronibus, qui ſint.
5. De ianitore Spiritu ſancto.
6. De ouibus Chriſti.
7. De cognitione ouium.

8. De officijs Christi, summi nostri pastoris.
9. De cœcitate humana, quæ non assequitur cœlestia.
10. De vita æterna, quibus & propter quem detur.
11. De incrementis donorum spiritualium.
12. De natura diaboli, & organorum eius.
13. De caussa finali aduentus Christi in hunc mundum.

CONIVNCTAE XIIII.

1. An omnibus temporibus Deus habuerit suum ouile in mundo?
2. Quòd ministerium Euangelij fuerit & sit abominabile coram sapientibus mundi, sicut Ægyptiis pastores abominabiles erant.
3. Quòd Ecclesia colligatur ex humilibus & coram mundo despectis hominibus. Quia hîc Ecclesiæ membra ouibus comparantur.
4. An ad societatem Ecclesiæ semper promiscuè omnes gentes admissæ sint?
5. An sancti patres habuerint cognitionem ianuæ, vel Christi Messiæ?
6. An omnes, qui ab initio mundi saluati sunt, per hanc ianuam intrauerint?
7. Quòd credentibus in Christum detur Spiritus sanctus.
8. Quòd per doctrinam Euangelij Spiritus sanctus verè fit efficax, & aperiat intellectum scripturæ.

9. An

9. An prophetæ & alij doctores in populo Dei hic æquè, vt Phariſęi taxentur, cum Chriſtus dicit: Omnes, quotquot venerunt ante me, latrones ſunt & fures?

10. Quòd omnibus temporibus etiam in denſiſſima cœcitate Phariſęorum, Deus ſemper ſibi ſeruauerit cætum aliquem, qui veritatem amplexus eſt, & mendacia fugit, ſicut hic dicitur: ſed oues eos non audiuerunt.

11. Quòd ſoli credentes in Chriſtum iuſtificentur & ſaluentur.

12. Quòd extra CHRISTVM non ſit vita aut ſalus.

13. An liceat ad tempus audire & intereſſe ſacris eorum, qui peregrina & aliena à voce Chriſti proponunt?

14. Quòd dona piorum in hac vita ſint imperfecta & ſubindè creſcant.

ADHORTATIONES XIII.

1. Ad aſſiduam & fidelem propagationem doctrinæ Euangelij. Quia ianitor aperit fidelibus doctoribus, & oues vocem eorum audiunt.

2. Ad cognitionem Chriſti.

3. Ad fidem in Chriſtum.

4. Ad obedientiam erga vocem paſtoris Chriſti, & miniſtrorum eius.

5. Fideles Ecclesiæ ministri agnoscant oues suas, & diligenter attendant in fidem & vitam earum.
6. Præeant etiam suo gregi bono exemplo.
7. Et habeant curam etiam agnorum.
8. Oues verò audiant vocem pastoris, & discant eam discernere à voce furum & latronum.
9. Retineant puritatem doctrinæ.
10. Obtemperent salutaribus pastorum monitis.
11. Et imitentur etiam eorum mores, si sunt honesti.
12. Associemus nos veræ Ecclesiæ, & in ea ingrediamur & egrediamur, vt pascua inueniamus.
13. In solo Christo quæramus abundantiam & plenitudinem omnium cœlestium bonorum.

DETESTATIONES VI.

1. Impiæ præsumptionis eorum, qui extra Christum ianuas ad societatem veræ Ecclesiæ, & vitæ æternæ quærunt aut monstrant. Soli enim illi, qui per Christum introeunt, saluantur.
2. Infidelitatis & negligentiæ eorum pastorum, qui oues suas non nominatim vocant, sed opus domini negligenter faciunt, & de

salute gregis parum sunt soliciti.

3. Non audiamus nec sequamur sonantes vocem peregrinam.

4. Leuitatis eorum, qui quouis se vento doctrinarum circumferri sinunt.

5. Non dispensemus cum falsis doctoribus, nec conciliationes impias quæramus, multò minus patrocinemur erroribus, sed pleno eos odio persequamur. Quia fur non venit, nisi vt furetur & perdat.

6. Non veniamus ante Christum, id est, non ingeramus nos non vocati, nec doctrinam contrariam Christo adferamus.

IN DIE IOANNIS BAPTIstæ, Euangelium Luc. 1.

Elisabethæ vero impletum est tempus &c.

QVÆSTIONES SIMPLICES XXVIII.

1. DE omnipotentia Dei.
2. De sacramentis in genere.
3. De circumcisione & eius causis.
4. De Baptismo.
5. De ratione nominũ in veteri testamento.
6. De nomine Iohannis & eius causa.
7. De miraculis in genere.

8. De miraculis concurrentibus in circumcisione Iohannis.
9. De Christo, cuius persona & officium in cantico Zachariæ describitur.
10. De miseria generis humani.
11. De inimicis hominum.
12. De misericordia Dei.
13. De visitatione & redemptione Dei.
14. De fœdere & pacto Dei.
15. De iuramento Dei.
16. De fine redemptionis & visitationis diuinæ.
17. De pœnitentia & eius partibus.
18. De iustitia & sanctitate duplici: imputata & inchoata.
19. De timore duplici: filiali & seruili.
20. De bonis operibus.
21. De Propheris.
22. De officio Iohannis Baptistæ, & præparatione viæ Domini.
23. De efficacia ministerij Euangelij.
24. De scientia salutis.
25. De remissione peccatorum.
26. De tenebris & vmbra mortis.
27. De oriente ex alto.
28. De via pacis.

CONIVNCTAE XIX.

1. Quòd Deus etiam effætas & steriles annus fœcundas reddere possit.

2. Quòd

2. Quòd liberi sint donum Dei.
3. Quòd Zacharias & Elisabeth veram Messiæ cognitionem habuerint. Id enim ex ratione nominis, quo filium suum vocari volunt, apparet.
4. Quòd Deus vsum linguæ & alias corporis vires dare & adimere possit.
5. Quòd manus Dei ab vtero sit cum electis suis organis.
6. Quòd Spiritus sanctus ab initio locutus sit per sanctos patres.
7. Quòd Spiritus sanctus author sit omnium bonarum actionum.
8. Quòd Christus sit promissus Messias.
9. Quòd Prophetæ de Messia venturo locuti, & vaticinati sint.
10. Quòd omnibus seculis sit expectatus Messias.
11. Quòd sancti patres non talem expectarint Messiam, qualem Iudæi venturum somniant, sed præuiderint fore eum liberatorem à peccato, morte & inferno.
12. Quòd omnia Christi beneficia sint gratuita.
13. Quòd aduentus Christi etiam mortuis ante ipsum patribus salutaris fuerit.
14. Quòd Euangelium non prohibeat, sed seuerissimè exigat nouam obedientiam & bona opera.

15. Quòd

15. Quòd per ministerium Euangelij paretur via Domino.

16. Quòd sine Christo & Euangelio vniuersus mundus sedeat in tenebris & vmbra mortis.

17. Quòd vera iustitia consistat in remissione peccatorum.

18. Quòd Deus non respiciat personam, sed sicut nouit totum genus humanum sedisse in tenebris, ita misit etiam orientem ex alto, vt omnes homines visitaret & illuminaret.

19. An sit necessarium doctoribus Ecclesiæ, abdere sese in desertum, cum hic dicatur: Iohannem fuisse in deserto, vsq; in diem ostensionis suæ?

ADHORTATIONES XXI.

1. Ad congratulationem cum ijs, quibus à Deo contingunt pia gaudia & commoda.

2. Ad accuratam legis diuinæ obseruationem. Sicut enim multis antè annis mandatum erat à Domino, ita circumciditur hic puer die octauo.

3. In administratione Sacramentorum fiant omnia decenter & cum iudicio.

4. Paruulos nostros adferamus ad lauacrum baptismi, vt Ecclesiæ tempestiuè inserantur.

5. Nomina imponantur liberis non sine ratione, sed cum iudicio.

6. Omni-

6. Omnibus modis ſtudeamus celebrare gratiam Dei in Chriſto nobis exhibitam. Hoc enim fine volunt hìc parentes vocari filium ſuum Iohannem.

7. Ad fidem acquieſcentem in ſimplici verbo Dei. Zachariæ enim dubitanti impeditur lingua, donec rurſus credere incipiat.

8. Pœnas diuinas feramus moderatè, nec tamen negligamus media, quibus bona conſcientia vti poſſumus. Zacharias vtitur tabella.

9. Liberati ex calamitate aliqua, agamus etiam Deo gratias, vt hic Zacharias feciſſe dicitur.

10. Miracula Dei probè perpendamus, & cum admiratione etiam intueamur & prædicemus.

11. Regum myſteria abſcondamus, Dei verò opera grato animo celebremus.

12. Simus fortes in curriculo noſtro. Quia ſemper nobiſcum eſt manus Domini.

13. Beneficia Chriſti agnoſcamus & celebremus.

14. Miſeriam & cæcitatem noſtram, quam ex vtero nobiſcum trahimus, agnoſcamus & deploremus.

15. Liberationem verò ab his malis, per ſolum Chriſtum ſperemus.

16. Simus etiam Deo grati pro accepta gratia, & ſeruiamus ei in ſanctitate & iuſtitia

omnibus

omnibus diebus vitæ nõstræ.
17. Ministri Ecclesiæ omnes conciones suas eò dirigant, vt præparetur via Domino, & detur scientia salutis plebi eius.
18. Studeant etiam auditores ambulare in luce & percipere scientiam salutis.
19. Viam pacis agnoscamus & sectemur.
20. Parentes agnoscant liberos esse donum Dei, & in pietate educare eos studeant.
21. Paruuli nostri crescant & confortentur in Domino, non in malitia.

DETESTATIONES XIII.

1. Incredulitatis & diffidentiæ. Potest enim Deus facere, quæ vult, nec impossibile apud ipsum est vllum verbum.
2. Non fremamus aut doleamus, si res proximi in felici esse statu videamus, multò minus inuideamus ei fortunam suam.
3. Non conueniamus ad baptismum tantùm propter comessationes, sed vt exemplo horum vicinorum lætemur cum parentibus, & simus etiam Deo grati pro præstita ipsis & paruulo gratia.
4. Non simus pusillanimes, multò minus desperemus, si quando à Domino corripimur. Nouit enim mutare sententiam suam, si modo nouerimus emendare delicta, & agere pœnitentiam. Sicut Zachariæ hic aperit credulitas

dulitas os, quod incredulitas clauserat.

5. Non dubitemus de certitudine promissionum diuinarum. Etsi enim Deus interdum longam faciat moram, tamen memor testamenti & iuramenti sui, tandem veniens venit, vt hic dicitur: Erexit nobis cornu salutis, sicut à seculo per os prophetarum locutus est.

6. Extra Christum non quæramus salutem.

7. Non ascribamus nostris meritis, quæ ex sola Dei misericordia nobis contingunt.

8. Non frangamur metu inimicorum nostrorum, spiritualium & corporalium. Christus enim ad hoc venit, vt liberet nos de manu eorum, qui oderunt nos.

9. Non opinemur ad hoc nos redemptos esse, vt carni & concupiscentijs eius seruiamus.

10. Non sit in nobis metus seruilis, sed sine timore (seruili) seruiamus Domino.

11. Non sufficit inchoasse vitæ emendationem, sed in ea ad finē vsq; perseueremus, sicut hic dicitur: seruiendum esse Domino omnibus diebus vitæ nostræ.

12. Non eligamus opera prō nostro arbitrio, sed seruiamus Domino in sanctitate acceptabili & grata.

13. Sedentes in tenebris non claudant oculos ad lucis aduentum, sed grato animo accipiant, & in ea etiam ambulent.

IN

IN FESTO PETRI ET PAVli Apostolorum, Euangelium Matth. 16.

Cum venisset autem Iesus in &c.

QVÆSTIONES SIMPLICES XV.

1. DE Christo, quis sit.
2. De cæcitate humana in rebus diuinis.
3. De caussis diuersarum opinionum de Christo.
4. De malitia Diaboli, qui vnum hoc quærit, vt veram Christi agnitionem vel prorsus in mundo extinguat, vel saltem in auditorum animis impediat.
5. De vera Christi agnitione, vnde sit.
6. De Iohanne Baptista.
7. De Elia.
8. De Ieremia.
9. De Propheta promisso Mosi Deut. 18.
10. De Ecclesia, quæ & qualis sit.
11. De fundamento Ecclesiæ, quodnam sit.
12. De portis inferorum, & earum odio aduersus Ecclesiam.
13. De potestate clauium, à quo & quibus sit data.

14. De absolutione publica & priuata.
15. De excommunicatione.

CONIVNCTAE XIIII.

1. Quòd omnibus temporibus in Ecclesia variæ fuerint opiniones, nec sit ante diem extremum speranda vniuersalis concordia.
2. Quòd nullo seculo pariter omnes homines Christum agnouerint & receperint.
3. Quòd Christus Iesus sit promissus ille Messias.
4. Et verus filius Dei viui.
5. Quòd vera salus & vita æterna consistant in agnitione Christi & fide.
6. An liberum arbitrium & vires humanæ, in rebus cœlestibus per se quid possint aut intelligant?
7. An Ecclesia sit ædificata super Petrum, vel eius confessionem?
8. Quòd non sit quærenda Ecclesia apud eos, vbi nulla est Christi notitia.
9. An Papa rectè ex hoc textu asserat se esse vicarium Christi, & vnicum in terris Ecclesiæ caput?
10. An portæ inferorum nunquam præualuerint Ecclesiæ.
11. An solus Papa habeat potestatem ligandi & soluendi?
12. An sine discrimine omnia, quæ soluuntur &

tur & ligantur in terra, sint etiam soluta & ligata in cœlis?

13. An priuata absolutio sit mandata à Christo?

14. An Christus velit gloriam suam occultari inter homines?

ADHORTATIONES XL.

1. Sicut Christus nullum fugit laborem, sed magna fecit itinera, vt multos ad veram Dei agnitionem perduceret: ita etiam fideles ministri Ecclesiæ summo studio conentur propagare doctrinam Euangelij.

2. Omnium nostrarum concionum præcipuus finis hic sit, vt innotescat Christus in mundo.

3. Ecclesiæ ministri diligenter attendant, & etiam explorent, num auditores percipiant ea, quæ in publicis concionibus proponuntur.

4. Singuli etiam suo loco obseruent, quæ sit hominum de se opinio, vt si quid iustè vitio vertitur, mox emendetur, vel si benè audimus, agamus Deo gratias, & deinceps etiam famæ integritatem conseruare studeamus.

5. Præcipuum omnium hominum studium sit, Christum rectè cognoscere.

6. Interrogati, fidei nostræ rationem reddamus,

mus, & Christum coràm omnibus intrepidè confiteamur.

7. In vera Christi agnitione petamus nos ad finem vsque per Spiritum sanctum conseruari. Quia caro & sanguis hæc non reuelant.

8. Innitamur Christo, vt fundamento firmissimo, in omnibus tentationibus & oppugnationibus diaboli.

9. In externa confessione etiam semper nos veræ Ecclesiæ adiungamus.

10. Potestate clauium cum gratiarum actione vtamur, si quando conscientia nostra mole peccatorum premitur.

11. Habeamus rationem auditorum, & quid singuli capere possint, diligenter obseruemus. Non vult enim Christus insignem Petri confessionem spargi apud eos, quos paulò post graue passuros esse scandalum sciebat.

DETESTATIONES XI.

1. Oscitantiæ & socordiæ eorum, qui multas quidem conciones audiunt, sed adeò negligenter, vt interrogati etiam de præcipuo fidei articulo, nil respondere possint.

2. Non moueamur diuersitate opinionum, multò minus incipiamus de vera religione dubitare aut malè sentire.

3. Non decipiamur magnis mundi titulis,

nec audiamus eos, qui in faciem nos laudant, sed inanem gloriam omni tempore fugiamus

4. Non tribuamus nobis nimium in studio rerum cœlestium. Caro & sanguis enim non percipiunt oracula diuina, nisi à Spiritu sancto regantur & illuminentur.

5. Non ponamus fundamentum Ecclesiæ aliud præter quod ab æterno patre in Christo Iesu est positum.

6. Desinant Tyranni persequi Ecclesiam. Præterquam enim quod non præualebunt, re vera etiam contra stimulum calcitrabunt.

7. Non metuamus, si portas inferorum aduersus Christum & Ecclesiam eius insurgere videmus. Verissimum enim est, quod hic dicitur: Non præualebunt.

8. Non simus ingrati pro dono clauium in Ecclesia, multò minus vsum earum negligamus, vt multi impiè faciunt. Christus enim Dominus cœli & terræ dedit hanc potestatem Ecclesiæ suę, cum insigni hac promissione: quicquid solueris in terra: erit solutum in cœlis.

9. Non rideamus fulmen excommunicationis. Quando enim Ecclesia in causa iusta, & modo etiam à Christo præscripto, contra impœnitentes claue ligante vtitur, non minus

nus hoc ratum est, quàm si agentes pœnitentiam à peccatis soluit.

10. Non faciamus multa verba de Christo apud manifestos eius hostes & persecutores.

11. Non proponamus sublimia eis, qui fundamentum nondum iecerunt. Multa enim habebat Christus, quæ Apostolis ideò, quod portare non poterant, dicere nolebat.

IN FESTO VISITATIONIS Mariæ, Euangelium Luc. 1.

Exurgens autem Maria in &c.

QVÆSTIONES SIMPLICES XIII.

1. DE Synodis noui Testamenti, quarum hæc in ædibus Zachariæ prima fuit. Præcipua enim Ecclesiæ lumina conuenerunt, & de articulo omnium maximo contulerunt.

2. De itinere Mariæ & eius causis.

3. De miraculo, quod in vtero Elisabethæ post auditam salutationem Mariæ accidit.

4. De honore debito Mariæ, qualis esse debeat.

5. De Christo, quo sensu benedictus ab Elisabetha dicatur.

6. Quo discrimine Maria mater, & filius Christus hic benedicti appellentur.
7. De confessione & fide Elisabethæ.
8. De misericordia Dei.
9. De potentia brachij diuini.
10. De iustitia Dei.
11. De timore Dei.
12. De gratia Dei præstita Israëli.
13. De Messia promisso Abrahæ, & eius beneficijs.

CONIVNCTAE IX.

1. An Maria suscipiens tam longum iter, non præter decorum fecerit?
2. Quòd Spiritus sanctus etiam in infantibus, in vtero adhuc iacentibus, possit esse efficax.
3. Quòd verbum vocale non sit mortua litera, sed reuera potentia Dei. Nam Elisabeth hîc expressè fatetur, se post auditam salutationem Mariæ sensisse singularem motum infantis in vtero.
4. Quòd Spiritus sanctus sine respectu sexus æquè in fœminis ac viris sit efficax.
5. An Maria saluata sit gestatione Christi in vtero, an vero fide in ipsum?
6. Quòd Elisabeth habuerit veram Christi cognitionem, apparet ex eo, quod existentem adhuc in vtero, Dominum suum vocat.

7. Quòd

7. Quòd Maria non ex merito, sed gratia ornata sit hac gloria, vt fieret mater Domini.

8. Quòd apud Deum non sit respectus personarum, sed velit esse misericors à progenie in progeniem timentibus eum.

9. Quòd de venturo Messia etiam sanctis patribus facta sit promissio, & propterea etiam omnibus temporibus ab ipsis expectata.

ADHORTATIONES XVII.

1. Ad fidem. Credit enim Maria Angelo, propter quod beata ab Elisabetha dicitur.

2. Ad honorem, studium, & reuerentiam erga cognatos & omnes natu maiores. Etsi enim Maria sciebat se esse matrem Domini: tamen quia audierat cognatam Elisabetham in senectute sua concepisse, accedit eam per viam longam & periculosam, vt opera sua ei inseruiat.

3. Ad humilitatem.

4. Ad pietatem, verecundiam, modestiam & cognatas virtutes, in quibus omnes honestæ virgines Mariæ exemplum imitentur.

5. Legant etiam virgines & mulieres sacram scripturam, & promissiones factas patribus sibi familiares reddant.

6. Lætemur & congratulemur, cum Deus

familiam nostram singulari aliquo honore dignatur, & gratias etiam agamus.

7. Grato animo prædicemus beneuolentiam à superioribus nobis exhibitam.

8. Mariam debito honore afficiamus, ita tamen, vt omnis idolatria absit.

9. Christum, filium Mariæ, verè esse benedictum & benedicentem firmiter credamus.

10. Verbis Domini simpliciter credamus. Quia certò perficientur, quæ ab ipso dicuntur.

11. Simus Deo grati corde, ore & opere, & in spiritu exultemus, si quando nos oculis misericordiæ suæ respicit, & magna facit, qui potens est.

12. Eligamus & amemus humilia.

13. Ad timorem Dei & pœnitentiam veram. Misericors enim est Dus à progenie in progeniem timentibus eum.

14. Potentiam brachij diuini agnoscamus & metuamus.

15. Graue paupertatis onus patienter feramus. Potest enim Deus esurientes implere bonis.

16. Misericordiam Israëli promissam, ad nos etiam pertinere sciamus.

17. Confectis negotijs suis festinanter reuertantur domum virgines, nec faciant in via moras non necessarias & suspectas.

DE-

DETESTATIONES XI.

1. Leuitatis muliebris, quæ in discursationibus & scurrilibus verbis & gestibus earum, non rarò apparet.

2. Petulantiæ & inobedientiæ iuuentutis, quæ oblita exempli Mariæ, sæpè etiam parentibus suis operam suam denegat.

3. Insolentiæ vsitatissimæ in eis, qui singulari aliquo dono præ alijs à Deo ornati sunt.

4. Non spernamus eos, qui videntur coram mundo abiectissimi. Solet enim Deus virtutem in infirmitate perficere.

5. Pauperes & humiles non murmurent aduersus Deum. Quia potest exaltare humiles.

6. Securitatis carnalis, vt enim Deus misericordiam facit timentibus se, ita manu sua potenti securos punit.

7. Superbiæ humanæ. Quia Deus omni tempore dispersit superbos.

8. Sapientia & alijs Dei donis non abutamur. Potest enim Deus ingratos dispergere mente cordis sui, hoc est, priuare ratione & iudicio.

9. Si qua est nostra potentia & authoritas, non efferamur. Potest enim Deus facilimè potentes deponere de sede.

10. Non ponamus fiduciam in caducas huius mundi opes. Sæpè enim Deus diuites dimisit inanes.

11. Non grauemur etiam diutius aliquantulum inseruire proximo.

IN FESTO IACOBI MAIORIS, Euangelium Matth. 20.

Tunc accessit ad eum mater filiorum, &c.

QVÆSTIONES SIMPLICES XV.

1. DE affectu parentum erga liberos.
2. De precationis forma.
3. De caussis, cur non semper pro nostra voluntate exaudiamur.
4. De regno Christi, quale sit.
5. Quis det nobis sedere ad dextram Christi in regno Dei. Vel de caussis efficientibus huius sessionis.
6. De diuersitate calamitatum.
7. De cruce Ecclesiæ propria, & eius caussa, forma & finibus.
8. De confidentia & præsumptione humana in negotijs spiritualibus, vnde sit.
9. De potestate politica.
10. De ministerio Euangelij, quid sit.
11. De discrimine potestatis politicæ & Ecclesiasticæ.
12. De fine ministerij.

13. De officio Christi.
14. De redemptione facta per Christum.
15. De cauſſis, cur redemptio Christi non omnibus profit.

CONIVNCTAE XVIII.

1. Quòd natura humana non niſi carnalia ſapiat & quærat.
2. An parentes quærentes, & excogitantes vias, quibus liberi in hoc mundo ad faſtigia honorum aſcendere & præ alijs eminere poſſint, benè faciant?
3. An Chriſtus ſit ſcrutator cordium noſtrorum, cùm hic ex matre quærat, quid velit?
4. An in petitione rerum corporalium, æquè vt in ſpiritualibus exaudiamur?
5. Quòd etiam in ſanctis in hac vita adhuc hæreant peccata.
6. An regnum Chriſti ſit de hoc mundo?
7. An in regno Dei quicquam valeat vlla prærogatiua carnalis?
8. Quòd Eccleſia in hac vita ſit ſubiecta cruci.
9. An poſſit homo proprijs viribus bibere calicem Domini, & debitam ſub cruce præſtare obedientiam?
10. Quibus ſit paratum ſedere ad dextram Chriſti in regno Dei.
11. An Chriſtus non habeat poteſtatem recipiendi

cipiendi in regnum suum, quos vult?

12. Quòd potestas politica sit ordinatio Dei. Non enim tollitur hicà Christo, sed tantum à ministerio Euangelij discernitur.

13. Quòd in Ecclesia omnium ministrorum vna & eadem sit potestas, etiam si donorum magna est diuersitas.

14. Quòd regnum Christi administretur verbo, non gladio, aut alia vi externa.

15. Et quod Papa malè faciat, rapiens ad se vtramque potestatem, tam politicam quàm Ecclesiasticam.

16. An in Ecclesia possint esse aliqui dignitatis, honorum & authoritatis gradus?

17. An redemptio Christi sit vniuersalis, cùm hîc dicatur: Eum posuisse animam pro multis?

18. An non velit Christus nos sibi seruire in sanctitate & iustitia vera?

ADHORTATIONES XI.

1. Parentes non tantùm sint soliciti de fortuna liberorum in hac vita: sed potius summo studio in hoc incumbant, vt relinquant post se alios fideles Dei cultores.

2. Orent pro liberis parentes, & vicissim pro parentibus etiam liberi, sed secundum voluntatem Domini.

3. Matres moderentur suos adfectus. Non

rarò

rarò enim earum culpa & indulgentia peiores liberi redduntur.

4. Præparemus nos ad ferēdam crucem sanctam. Sic enim semel constitutum est, vt qui volunt esse discipuli Domini, bibant eius calicem.

5. Regnum Dei quæramus, sed non in nostris meritis. Solis enim credentibus in Christum à Deo paratum est.

6. Sub cruce simus fortes, quia non erit perpetua, sed exiguus ex calice tribulationis haustus, & admodum etiam nobis salutaris. Sicut propter multiplicem eius vsum hîc baptismo comparatur.

7. Magistratus politicus sciat se à Deo ad hoc ordinatum esse, vt exerceat ius & iustitiam, nec sit tantùm deditus voluptatibus.

8. Exerceat tamen potestatem suam sine tyrannide.

9. Singuli suo loco Spartam, quam nacti sunt, ornent, nec munus alienum appetant.

10. Simus in ministerio nostro humiles, fideles & ad benefaciendum alijs faciles.

11. Redemptionem nostram in solo Christo quæramus & speremus.

DETESTATIONES X.

1. Ambitionis & inanis gloriæ.

2. Non petamus illicita aut exitiosa nobis & alijs.

3. Disci-

3. Discipuli Christi non imaginentur sibi in hac vita perpetuam felicitatem. Bibent enim calicem Domini.

4. Agnoscentes propriam infirmitatem non desperemus. Sicut enim hic Christus discipulos suos propter errantes motus & affectus non reijcit: ita nec hodiè adhuc vult abijcere infirmos, si modo sunt dociles.

5. Non simus securi. Possumus enim in similia aut maiora peccata labi, nisi Deus sua nos gratia conseruet.

6. Præsumptionem, quæ plura promittit, quam præstare potest, fugiamus.

7. Non quæramus regnum Dei in propriis meritis, aut aliqua carnali prærogatiua.

8. Inuidiæ & æmulationis, quæ multorum contentionum caussa sunt.

9. Ministri Ecclesiæ non abutantur sua potestate, nec vnum in Ecclesia, alterum in curia pedem habeant.

10. Non superbiamus donis nostris, sed qui vult fieri inter nos maximus, sit aliorum minister.

IN DIE LAVRENTII MARtyris, Euangelium Ioh. 12.

Amen amen dico vobis, nisi granum &c.

QVA-

QVÆSTIONES SIMPLICES XIII.

1. DE fructu passionis & mortis Christi.
2. De caussis impulsiuis, & finibus Martyrij.
3. De cruce & persecutionibus Ecclesiæ.
4. De vtilitatibus crucis.
5. De vita præsenti, & temporali.
6. De morte.
7. De sepultura.
8. De corruptione nostrorum corporum.
9. De resurrectione carnis.
10. De gloria resurrectionis. Vel de clarificatione nostrorum corporum post resurrectionem.
11. De vita æterna.
12. De ministris Christi, quinam sint.
13. De honore, qui fidelibus Christi ministris reseruatur.

CONIVNCTAE XI.

1. Quòd mors Christi sit salutaris omnibus hominibus.
2. An mors sanctorum martyrum eosdem, quos Christi mors, fructus attulerit?
3. Quòd corpora nostra in die extremo certò sint resurrectura.
4. An & quomodo animam nostram sine peccato amare possimus?
5. An conueniat iustitiæ Dei, sanctissimos homines

homines tot periculis & tandem etiam crudeliſſimæ morti obijcere?
6. An debeat homo quauis de cauſſa animam ſuam odiſſe & perdere?
7. An recte faciant, qui ſe periculis, quæ effugere poſſent, temere exponunt?
8. An non ſint habituri ſuam etiam in illo die claritatem, qui morte placida & non violenta moriuntur?
9. An neceſſe ſit omnes Chriſti miniſtros fieri martyres?
10. An vita æterna detur martyribus propter paſſionem ſuam?
11. An decretum Dei, quo ſemel conſtitutum eſt, vt omnes ſecuturi Chriſtum ferant crucem ſuam, excuſet tyrannos perſequentes Eccleſiam?

ADHORTATIONES VIII.

1. Fructus mortis Chriſti conſideremus, & grato etiam animo celebremus.
2. Propter Chriſtum omnes perſecutiones, & ipſam deniq; mortem patienter feramus.
3. Amemus quidem animam, ſed non magis quàm Chriſtum.
4. Chriſtum coram toto mundo intrepidè confiteamur, nec vlla nos pericula abſterrere patiamur.
5. In media morte hac nos ſpe ſuſtentemus, quod

quod Christus hìc dicit: granum coniectum in terram adfert fructum multum. Item, vbi ego sum, & minister meus erit.

6. Christum sequamur, corde, ore & opere ad finem vsque.

7. Christo Domino nostro fideliter seruiamus.

8. Et honorem cum præmijs non in hac præsenti, sed in futura vita expectemus.

DETESTATIONES VII.

1. Non offendamur morte Christi, quia precioſos nobis fructus adfert.

2. Non etiam sanctorum martyrum morte offendamur. Quia sanguine eorum Ecclesia rigatur, & preciosa est mors sanctorum in conspectu Dei.

3. Tempore confessionis & persecutionis, neque mortem neq; alia pericula subire grauemur, quia hic dicitur: Qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam.

4. Non tamen tentemus Deum nec temerè nobis & saluti nostræ pericula attrahamus.

5. Mortuos nostros non immodicè lugeamus, sed hac nos spe consolemur, quòd granum coniectum in terram reuiuiscat, & fructus multos secum feret.

6. Non pudeat nos crucis. Qui enim in hoc

mundo in passionibus conformantur filio Dei, in vita futura eiusdem cum eo etiam gloriæ participes erunt.

7. Non frangamur mundi iniuria, ignominia & contumelijs. Quia Christus hic dicit: Deum patrem suum honorificaturum eos, qui propter nomen suum persecutionem patiuntur.

IN FESTO BARTHOLOMæi, Euangelium Luc. 22.

Facta est autem contentio inter eos &c.

QVÆSTIONES SIMPLICES XIIII.

1. DE infirmitate humana in genere.
2. De cœcitate humana in negotijs spiritualibus.
3. De ignorantia Apostolorum.
4. De discrimine regni Christi & regnorum mundi.
5. De officio politici magistratus.
6. De honore & reuerentia subditorum.
7. De ministerio Euangelij, & finibus eius.
8. De Christi officio.
9. De tentationibus Christi.
10. De cruce piorum.

11. De dispositione regni cœlestis, vel quibus detur.
12. Quid sit edere & bibere in regno Dei.
13. De vita futura, qualis erit, & in quibus à præsenti hac differet.
14. De iudicio duodecim tribuum Israël.

CONIVNCTAE X.

1. Quòd etiam in sanctis hæreant multiplicia peccata.
2. An regnum Christi sit de hoc mundo?
3. An Papa rapiens ad se vsum gladij & potestatis politicæ, rectè faciat?
4. An potestas politica sit ordinatio Dei?
5. An Christiani possint fungi officio politici magistratus?
6. An ministrorum in Ecclesia vna & eadem sit potestas, an verò eiusdem certi gradus, vt in politicis imperijs?
7. An auditores debeant suis doctoribus aliquem honorem, cùm Christus hic omnem eminentiam tollere videatur?
8. An & quomodo discipuli cum Christo in tentationibus permanserint?
9. An ærumnæ & passiones piorum mereantur vitam æternam?
10. An Apostoli, & non potius Christus ipse, in illo die sit iudicaturus mundum?

ADHORTATIONES X.

1. Ad concordiam & ſtudium pacis inter docentes.
2. Ad humilitatem.
3. Ad manſuetudinem & lenitatem, quæ hic in eo elucet, quòd Chriſtus errantes diſcipulos non abijcit, ſed ſpiritu lenitatis & manſuetudinis tolerat, & de regno ſuo rectè inſtruit.
4. Magiſtratus vtrunque faciat, dominetur & ſit beneficus, hoc eſt, puniat malos, & benefaciat bonis.
5. Subditi præſtent debitam obedientiam & reuerentiam ſuis ſuperioribus.
6. Miniſtri Eccleſiæ ſtudeant inſeruire omnibus hominibus, tam infimis quàm ſummis.
7. Conſiderantes noſtram infirmitatem hac nos ſpe ſuſtentemus, quòd Chriſtus nolit abijcere eos, qui infirmitatem ſuam agnoſcunt, deplorant & emendare ſtudent.
8. In tentationibus ſimus fortes & ad finem vſque cum Chriſto permaneamus.
9. Spem quam Chriſtus hic nobis de regno ſuo facit, firmiter teneamus.
10. Verbum Dei ex ore docentium ſtudiosè audiamus. Erunt enim in illo die iudices noſtri, hoc eſt, vel fidei noſtræ teſtimonium perhibebunt,

hibebunt, vel ingratitudinem & contemptum noſtrum accuſabunt.

DETESTATIONES X.

1. Contentionum & rixarum inter docentes in Eccleſia.
2. Ambitionis & inanis gloriæ.
3. Negligentiæ in ſtudio verbi diuini. Ex eo enim, quòd diſcipuli conciones de regno Chriſti negligentius audiuerant, contentio hæc exorta eſt.
4. Non confundamus Eccleſiaſticam & politicam poteſtatem, nec clauem in gladium transformemus.
5. Magiſtratus non abutatur ſua poteſtate, nec tyrannidem in ſubditos exerceat.
6. Non grauemur ſeruire alijs. Cum Chriſtus propter nos ſerui formam aſſumſerit.
7. Eccleſiæ miniſtri, ornati ſingularibus à Deo donis, non ſumant ſibi illicitum in alios imperium. Vna enim & eadem eſt omnium poteſtas.
8. In perſecutionibus non deſeramus Chriſtum, nec veritatis confeſſionem abijciamus.
9. Non graue ſit nobis ferre crucem in hac vita. Cùm Chriſtus promittat regnum ſuum eis, qui in fide & patientia ad finem vſq; perſeuerant.
10. Non rideamus paternas & neceſſarias

miniſtrorum Eccleſiæ commonefactiones, ne in illo die graue nobis iudiciū accerſamus.

IN FESTO MATTHÆI Apoſtoli & Euangeliſtæ, Euangelium Matth. 9.

In illo tempore prætereins Ieſus vidit &c.

QVÆSTIONES SIMPLICES XXIIII.

1. DE publicanis.
2. De Eccleſia, quæ ſit, & ex quibus colligatur.
3. De vocatione Matthæi, & cauſſis eius.
4. De Apoſtolis.
5. De miniſterio Euangelij in genere.
6. De efficacia & potentia verborum Chriſti.
7. De obedientia Matthæi, & quid ſit ſequi Chriſtum.
8. De fructibus pœnitentiæ in Matthæo, qui conuiuium parat, & alios etiam Chriſto adducit.
9. De conuiuis & conuiuijs, eorumq; forma & cauſſis.
10. De miſericordia, humanitate & longanimitate Chriſti.
11. De ſcandalo duplici, accepto & dato.
12. De malitia & aſtutia Phariſæorum, qui

non

non Christum, sed discipulos ad respondendum minus instructos alloquuntur.

13. De iustitia Pharisaica.

14. De iustitia Christi.

15. De morbo & infirmitate spirituali omnium hominum, vel de peccato originis.

16. De medela vel cura spirituali & eius forma.

17. De Medico animarum nostrarum quisnam sit.

18. De officio Christi.

19. De sacrificijs veteris testamenti & eorum finibus.

20. De cultu Dei vero & falso.

21. De pœnitentia.

22. De vocatione ad pœnitentiam.

23. De peccatoribus duplicibus, pœnitentibus & impœnitentibus.

24. De iustis, quinam sint de quibus Christus dicit: Veni peccatores vocare, non iustos.

CONIVNCTAE XVI.

1. An Christus vocans à telonio Matthæum, omnia politica officia reijciat & damnet?

2. An ad ministerium verbi vocari debeant homines rudes & sacræ scripturæ ignari?

3. An admittendi sint ad ministerium polluti manifestis peccatis ideò, quod Christus ex Matthæo publicano Apostolum fecit?

4. An necessaria sint studia linguarum & artium in eis, qui inseruire Ecclesiæ aliquando volunt?

5. Quòd virtus in infirmitate perficiatur, & Christus in abiectissimis coram mundo hominibus efficax esse possit.

6. Quòd ex gratia, & non propter vlla nostra merita iustificemur.

7. An Christus sumens cum peccatoribus cibum, recte faciat?

8. An ministris Ecclesiæ sine discrimine cum omnibus peccatoribus conuersari & cibum sumere liceat?

9. Quòd Deus nolit abijcere peccatores pœnitentes.

10. Quòd solus Christus sit medicus animarum nostrarum.

11. Quòd cultus, qui præstatur cum opinione meriti, displiceat Deo.

12. Quòd sacrificia in veteri testamento non meruerint remissionem peccatorum.

13. An opera secundæ tabulæ præferantur operibus primæ, cum Christus dicat: Misericordiam volo, non sacrificium?

14. Quòd contra Dominum non valeat consilium aut sapientia. Dum enim hic Pharisæi Christum leuitatis insimulare volunt, non tantum ipse sese sufficienter excusat, sed præterea etiam conuincit eos, quòd reuera sint hostes

hostes DEI & hominum, & scelerati legis præuaricatores.

15. An Christus reijciat aut prohibeat bona opera dicens: Non veni vocare iustos?

16. Item an non approbet peccatum, vel det licentiam peccandi, cum dicat: se venisse vt vocaret peccatores?

ADHORTATIONES XIIII.

1. Qui habent ius aut mandatum vocandi Ecclesiæ ministros, sint circumspecti, nec temerè admittant eos, quorum vel doctrina, vel vita scandalorum plena est.

2. Imitemur Christi exemplum, & miseros peccatores à via mala reuocemus, & Deo adducamus.

3. Vocati ad pœnitentiam sequamur.

4. Propter Christum, si opus est, omnia deseramus.

5. Sicut Matthæus suis manibus historiam suam scripsit, & nomen & peccata sua expressit: ita nos etiam non erubescamus fateri peccata nostra, cùm hoc in gloriam Dei, aliorum emendationem, & nostram salutem cedere possit.

6. Conuiuia accedamus non tantùm propter voluptates, sed potius eo fine, vt nostra præsentia alijs ad pœnitentiam prosit.

7. Sicut Matthæus alios etiam miseros pec-

catores ad Christum ducit, vt eiusdem gratiæ participes fiant, ita nos conuersi confirmemus fratres nostros.
8. Miseri peccatores non fugiant Christum, sed cum fiducia accedant & petant veniam.
9. Morbum animarum nostrarum agnoscamus, & Christum Medicum quæramus.
10. Ministri Ecclesiæ infirmos in fide, in spiritu lenitatis instruant.
11. Misericordiam anteferamus ceremonijs legis.
12. Misericordiam exhibeamus proximo, omnibus quibus possumus modis.
13. Præstemus Deo cultum debitum eo modo & fine, quo præcepit.
14. Operemur quidem iustitiam, sed sine opinione perfectionis aut meriti.

DETESTATIONES XII.

1. Auaritiæ, quæ radix est omnium malorum, & multos in horribilia peccata præcipitat.
2. Exactionum immodicarum, quibus publicani alios homines prægrauarunt.
3. Non diligamus plus priuata nostra commoda, vel huius mundi opes, quàm Christum.
4. Non abijciamus statim miseros peccatores.

res. Potest enim Christus ex publicano facere Apostolum.

5. Conciones pœnitentiæ non prætereamus surdis auribus, vt multi faciunt.

6. Scandala in dictis & factis fugiamus.

7. Non etiam malitiosè deprauemus, aut calumniemur ea, quæ ab aliis rectè dicta aut facta sunt.

8. Non dissimulemus ea, quæ ministerio vel officio nostro notam inurere possent. Sed sicut Christus hîc facit, obturemus os calumniatori, non maledictis, sed verbo veritatis & refutatione firma.

9. Abijciamus superbiam spiritualem, quæ gloriam DEI & dilectionem proximi impedit.

10. Non sit oculus noster nequam ideò, quod Deus bonus est, nec miseris peccatoribus gratiam Dei inuideamus.

11. Non peccemus liberius ideò, quod Christus hic dicit, se venisse vocare peccatores Quia non de impœnitentibus, sed pœnitentibus loquitur.

12. Non etiam negligamus iustitiam. Non enim hic Christus ipsa opera iusta, sed vanam Pharisæorum fiduciam damnat, nec eos, qui verè iusti erant, sed alios, qui sibi in iniustitia iustitiam somniabant, taxat.

IN

IN FESTO MICHAELIS Archangeli, Euangelium Matth. 18.

In illo tempore accesserunt discipuli ad &c.

QVÆSTIONES SIMPLICES XVII.

1. DE cœcitate humana in rebus spiritualibus.
2. De discrimine inter regnum cœlorum, & politiam mundanam.
3. De regno Dei.
4. De maximo in hoc regno, quis sit.
5. De hæreditate regni cœlorum.
6. De humilitate spirituali, & vera pœnitentia.
7. De paruulorum fide.
8. De scandalorum speciebus, cauſſis, & effectibus.
9. De diuersis gradibus necessitatis.
10. De scandalorum pœnis.
11. De modo vitandi scandala.
12. De abscisione manuum, pedum & aliorum membrorum, qualis sit & quomodo intelligenda.
13. De vita æterna, & via ad Deum.
14. De igne æterno. Vel pœnis infernalibus.

15. De

15. De Angelis & eorum officio.
16. De dignitate Ecclesiæ, quæ apud Deum in tanto est precio, vt in custodiam eius sancti angeli deputati sint.
17. De Christi officio. Filius hominis venit saluare &c.

CONIVNCTAE XIIII.

1. Quòd etiam in sanctis Apostolis reliqua fuerit adhuc ignorantia & infirmitas.
2. An in regno Dei sint honorum & potestatum gradus, sicut in regnis huius mundi esse videmus?
3. An in Ecclesia debeant esse personarum differentiæ & gradus?
4. An in regno Dei valeat vlla carnalis prærogatiua aut dignitas?
5. An regnum Dei detur ex debito, an verò ex gratia?
6. Quòd infantes etiam sint cohæredes vitæ æternæ.
7. Quòd infantes habeant fidem propriam.
8. Quòd, cum ad infantes etiam pertineant promissiones diuinæ, necesse sit ad eosdem & signum promissionis, baptismum scilicet, pertinere.
9. An & quomodo necesse sit venire scandala?
10. Quomodo possimus assimilari paruulis?

11. An

11. An Christus mandet & approbet corporis mutilationem, & an hæc verba: erue oculum, abscinde manum &c. secundum literam intelligenda sint?

12. Quomodo angeli videant faciem patris cœlestis.

13. Quòd singulis pijs à Deo sint additi sancti angeli, contra diaboli insidias & malitiam.

14. Quòd causa damnationis & perditionis multorum, non debeat transferri in Deum, quia misit filium, non vt perderet, sed vt saluaret genus humanum.

ADHORTATIONES XIIII.

1. Simus quidem de regno cœlorum solicíti, & locum in eo quæramus, sed eo modo, quo Christus hoc à nobis fieri vult.

2. Ingressuri regnum cœlorum conuertamur, & efficiamur sicut paruuli.

3. Ad humilitatem spiritualem vel pœnitentiam.

4. Vitæ innocentiam vt paruuli tueamur, & omnem dolum fugiamus.

5. Eos, qui propter Christum in hoc mundo paruuli & contempti sunt, iuuemus & beneficijs prosequamur.

6. Paruulos singuli suo loco suscipiant, ament & Christo adducant.

7. Maximè verò parentes liberos suos in pie-

tate

tate & timore Domini educare ſtudeant.

8. Scandalis ope diuina fortiter reſiſtamus.

9. Qui autem vult fugere ſcandala, vitet etiam occaſiones eorum.

10. Omnia corporis noſtri membra frenemus, & mortificemus, ne propter nos ſcandala veniant.

11. Ad pium & moderatum vſum omnium membrorum.

12. Beatitudinem vitæ futuræ omnibus huius mundi bonis, imò propriæ etiam vitæ, anteferamus.

13. Præſentiam ſanctorum angelorum grato animo agnoſcamus, & reuereamur, eaque nos contra diaboli inſultus protegi petamus.

14. Imitemur ſanctos angelos in humilitate & dilectione. Quia propter nos ſeſe ad ſordidas operas demittunt.

DETESTATIONES XII.

1. Ambitionis & ſpiritualis ſuperbiæ, quæ quia ſeſe coram Deo exaltat, humiliabitur.

2. Propter ignorantiam & infirmitatem noſtram non deſperemus. Quia Chriſtus patienter fert rudes Apoſtolos.

3. Scandala in omnibus verbis, factis, & geſtibus noſtris caueamus.

4. Non

4. Non etiam ſinamus nos ſcandalis à vera doctrina & vita pia abduci.

5. Non indulgeamus affectibus, & concupiſcentijs noſtris, quæ ſcandalis occaſionem ſæpè dant.

6. Homines etiam aliàs nobis chariſſimos fugiamus, ſi conuerſatio eorum nobis offendiculo eſſe voluerit.

7. Non extenuemus peccata & ſcandala noſtra, quæ Chriſtus æterno igne digna eſſe affirmat.

8. Non contemnamus vnum ex minimis iſtis.

9. Nulla nos authoritate, poteſtate, vel ſapientia impediri ſinamus, quò minus Euangelio aſſentiamur.

10. Parentes non ſint negligentes in tollendis ſcandalis, multò minus ipſi dicto vel facto paruulos ſuos offendant.

11. Non deſperemus in peccatis noſtris. Venit enim filius hominis ſaluare quod perierat.

12. Non grauemur inſeruire paruulis, cùm idem ſanctos Angelos facere audiamus.

IN DIE SIMONIS ET IVdæ, Euangelium Ioh. 11.

Hæc mando vobis vt diligatis vos &c.

QVÆSTIONES SIMPLICES XX.

1. DE discrimine inter doctrinam Christi & Mosis.
2. De mundo.
3. De odio mundi aduersus Christum & Ecclesiam eius, & odij huius veris caussis.
4. Quid sit, esse de mundo.
5. De electione de mundo.
6. De vsu verborum, & doctrinæ Christi.
7. De efficacia verbi in diuersis.
8. De dominis.
9. De seruis.
10. De cœcitate mundi, & eius caussis.
11. De effectibus & incommodis huius cæcitatis.
12. De discrimine peccatorum, venialium & mortalium.
13. De discrimine inter peccata eorum, qui Christum audiuerunt; & aliorum qui non audiuerunt.
14. De atrocitate & fructibus odij erga Christum.
15. De miraculis & operibus Christi.
16. De discrimine inter miracula Prophetarum, Christi, & Apostolorum.

17. De peccato blasphemiæ in Spiritum sanctum.
18. De pœnis contemptus Euangelij, & odij aduersus Christum.
19. De affectata & voluntariâ ignorantiâ Iudæorum.
20. De innocentia Christi.

CONIVNCTAE XXIII.

1. An Christus sit alter Moses, vel nouus legislator?
2. An nemo possit simul Deo & mundo placere?
3. Quòd perpetuum sit odium diaboli & mundi aduersus Christum, Ecclesiam, & membra eius.
4. Quòd in vera Ecclesia non sit perpetua pax & & tranquillitas, vt Papistæ falsò imaginantur.
5. Quod pij in hoc mundo perpetuam sint habituri pressuram.
6. Quòd mundus semper præ pijs soleat diligere & amare impios.
7. An Christus iubeat nos deserere mundum, & abire in solitudinem, vt Monachi fecerunt?
8. An electio Christi sit causa nostrarum calamitatum?
9. Quòd sub cruce nulla sit efficacior consolatio,

latio, quàm ea, quæ ex verbis Christi petitur.

10. Quòd Deus approbet & velit esse discrimen graduum inter dominos & seruos.

11. Quòd doctrina Euangelij habuerit, habeat, & ad finem vsque habitura sit suos in mundo hostes, & contemptores.

12. Quòd ignorare Deum sit fons & initium omnium ferè peccatorum.

13. Quòd Deus pater & filius sit vnum.

14. Quòd Christus sit verus Deus, eiusdem cum patre essentiæ.

15. Quòd extra Christum non sit vera agnitio Dei.

16. An in illo die, Turcæ & aliæ gentes, ignorantes Euangelium, erunt sine peccato, cum hic dicatur: Si non veniſſem & dixiſſem eis, non &c.

17. An reuelatio Euangelij in mundo sit vniuersalis, & an aliquæ gentes non audientes Christum, sint excusabiles?

18. An bene faciant, qui verbum & Sacramenta ideò negligunt, quod Christus dicit: Eos, quibus non est locutus, non habituros peccatum?

19. Quòd omnium peccatorũ grauissimum sit, cõtradicere manifestæ & agnitæ veritati.

20. Quòd contemnentes Christum, Deum ipsum contemnant.

21. Quòd Deus non sit causa excæcationis

Iudæorum, nec ipsi necessariò Christum persecuti sint.
22. Quòd mundus & diabolus non habeant in Christo quicquam.
23. Quòd Christus apud plerosque homines pro labore suo nil nisi odium reportauerit.

ADHORTATIONES XI.

1. Ad mutuam dilectionem.
2. Ad concordiam inter gubernatores Ecclesiæ.
3. Ad patientiam in cruce & persecutionibus, quas eò etiam moderatius feramus, quòd testantur nos à Christo de mundo electos esse.
4. Omnes pij separent se à mundo in fide, vita & conuersatione.
5. Ministri Ecclesiæ taxent, non approbent impij mundi studia & voluptates.
6. Verbum Dei ideò etiam studiosè audiamus, vt firmam inde consolationem in aduersis petere possimus.
7. Agnitionem Dei, vt fontem omnium bonorum operum, inprimis appetamus & quæramus.
8. Verbum & miracula Christi probè consideremus, & fidem inde in nobis confirmemus.
9. Verbum Dei, dum habemus, accipiamus.

10. Am-

10. Ambulemus in timore Dei, & in ſtudio verbi nos conſeruari petamus. Eo enim extincto, nulla non peccata ſequuntur.

11. Integritatem conſcientiæ tueamur, vt in calamitatibus puras tollere ad Deum manus poſſimus.

DETESTATIONES XIII.

1. Omnium peccatorum, quæ cum amore pugnant, aut vinculum amoris corrumpunt, vt ſunt ſuperbia, ambitio, philautia, moroſitas.

2. Non offendamur cruce piorum.

3. Non miremur, multò minus murmuremus, ſi mundi & diaboli odia ſentimus.

4. Non aſſimilemus nos impijs, nec de mundo eſſe cupiamus.

5. Fauorem mundi non ambiamus, nec vijs illicitis quæramus. Non enim poſſumus ſimul Chriſto & impio mundo placere.

6. Non odio habeamus Chriſtum & Euangelium. Qui enim hoc faciunt, non ex Deo, ſed ipſo Diabolo ſunt.

7. Non expetamus meliorem fortunam, quàm fuit Chriſto. Seruus enim non maior eſt domino ſuo.

8. Non propterea ceſſemus prædicare Euangelium, quod mundus id negligit, odit & perſequitur. Idem enim & Chriſto euenit, nec

tamen propter paucitatem credentium omisit officium suum.

9. Non irascamur mundo, sed potius deploremus cœcitatem eius & futuras pœnas.

10. Non persequamur agnitam veritatem. Peccatum enim hoc in illo die nullam admittet excusationem.

11. Miracula Christi non rideamus, aut negligamus.

12. Odium Christi & verbi eius extirpemus ex animis nostris. Eo enim flagrante, tandem cœcitas & induratio sequitur.

13. Non offendamur contradictionibus Iudæorum & aliorum hostium Christi. Quia Spiritus sanctus per Prophetas longè ante prædixit, mundum odio habiturum

CHRISTVM sine

causa &c.

ARTIFICIOSA ET VTILISSIMA LOCOS COMMVNES CERTIS TITVLIS CONSCRIbendi ratio, Scholasticis Curiensibus & alijs auditoribus Anno 1569. tradita

A

REVERENDO ATQVE CLARISSIMO VIRO DN. M. ANDREA PANCRATIO.



ANNO M. D. XCVII.

PRÆFATIVNCVLA IN LOCORVM COMMVNIVM titulos.

AN sit necessarium in omni genere doctrinæ, tempestiuè sibi certum thesaurum locorum communium colligere, non puto opus esse multis verbis id ostendere. Res enim ipsa testatur, eos non tantùm nobile tempus, sed operam etiam perdere, qui omnia sine certo ordine peruagantur, multa legunt, & pauca obseruant. Et quanquam negandum non est, posse ingenioso quædam percipere, tamen & hoc inficias ire nemo poterit, excidere multa, quando multitudine negotiorum obruuntur, nisi in chartam conijciantur ea, quæ legerint. Debent se itaq; iuuenes assuefacere, vt omnia quæ legunt, in certos locos digerant, & videant quæ coherentia sit locorum, & quomodo digerantur. Dictabo igitur, seriem locorum communium. Deinde cum non tantùm insignes sententiæ dicantur loci communes, sed etiam doctrina, historia, parabola, etiam ea dictabo. Faxit Deus, vt etiam hic labor sit ipsi gratus, & nobis salutaris. Amen &c.

LOCI COMMVNES.

PRimùm omnes loci communes diuidantur in duas classes. Omnis enim concio sacra, vel de creatore ipso, vel de creaturis loquitur.

DE CREATORE DEO IPSO QVÆRITVR.

1. An sit.
2. Quid sit, nempe essentia spiritualis intelligens æterna, verax, bona, iusta, misericors, casta, liberrima, immensæ potentię & sapientiæ, alia à mundi corporibus. Et quia hæc vocabula omnia declaranda & comprobanda sunt, singula singulos locos requirunt.
3. Quis sit ille Deus.
4. Quomodo discernendus ab alijs commentitijs numinibus Iudæorum, & Turcarum. Hìc mentio facienda erit trium personarum Patris, Filij & Spiritus sancti, & de singulis ordine seorsim dicendum.

DE PATRE dicatur quòd sit 2. distincta ab alijs persona, habens suas 3. proprietates, & 4. actiones duplices, quasdam 5. communes cum filio & Spiritu sancto, vt sunt 6. creatio, 7. conseruatio, 8. gubernatio & 9. protectio omnium creaturarum, item 10. prouidentia, & 11. prædestinatio.

Fit

Fit autem gubernatio & defensio creaturarum vel secundum cursum naturæ, vel præternaturaliter. Pertinent ergo huc omnes loci de miraculis, de colloquijs cum Deo, de diuersis apparitionibus & visionibus, de somnijs & prophetijs & similes. Præter has actiones Dei patris, sunt aliæ peculiares huius personæ, vt gignere ex sua essentia filium, & mittere in hunc mundum.

DE FILIO DEI, dicendum est. 1. quod sit persona. 2. & quidem distincta à patre & Spiritu sancto. 3. verus Deus. 4. coæternus. 5. coessentialis & æqualis patri. 6. verus homo, cõstans corpore & anima. 7. conceptus de Spiritu sancto. 8. natus ex Maria virgine. 9. sine peccato. 10. non tamen duo Christi sed vnus. 11. de personalis vnionis forma. 12. de causis impulsiuis. 13. & finalibus. 14. Hìc coincidit disputatio de Messia, an sit sanctis patribus promissus. 15. qualis. 16. ad quid. 17. an venerit. 18. & an Christus sit ille promissus Messias. 19. quæ sint eius opera & officia, quorum aliqua habet communia cum patre, de quibus supra 20. quædam verò peculiaria, vt redemptio generis humani facta. 21. obedientia. 22. & impletione legis. 23. passione. 24. morte. 25. sepultura. 26. descensu ad inferos. 27. resurrectione. 28. & ascensione ad cœlos.

Item,

Item 29. iustificatio, quæ est 30. remissio peccatorum, 31. donatæ iustitiæ, imputatæ 32. & inchoatæ. 33. Item donatio Spiritus sancti, & 34. glorificatio, quæ fiet 35. in vltimo aduentu & extremo die 36. resuscitatione à mortuis 37. clarificatione nostrorum corporum, 38. & donatione vitæ æternæ, ad quem locum pertinet etiam locus de regno Christi.

DE SPIRITV SANCTO dicatur 1. quòd sit persona, 2. & quidem distincta à patre & filio, 3. coæterna, 4. coëssentialis, 5. eiusdem potentiæ & maiestatis. Porrò dicatur etiam 6. à quo 7. per quid 8. propter quem 9. quomodò, 10. & quibus detur. Item 11. à quibus retineatur 12. & rursus excutiatur. Postremò dicatur etiam de eius operibus, quæ sunt duplicia, quædam communia cum alijs personis, quædam verò peculiaria, vt sunt 13. regeneratio 14. illuminatio. 15. viuificatio, vel excitatio spiritualium motuum. 16. conseruatio in bono. 17. efficacia per ministerium verbi, 18. consolatio. 19. inspiratio vel reuocatio in memoriam eorum, quæ antea audita sunt, 20. Intercessio pro nobis gemitibus inenarrabilibus, & exuscitatio ad preces ardentes, 21. prædictio rerum futurarum per Prophetas: & huc etiam propriè pertinet locus de prophetijs.

DE

DE CREATVRIS.

Omnes creaturæ diuidantur in inuisibiles & visibiles. Sub titulo inuisibilium ponantur spiritus vel Angeli, qui sunt duplices, boni & mali.

De bonis Spiritibus vel Angelis dicatur. 1. quòd sint. 2. quid sint. 3. & à quo creati. 4. quotuplices. 5. quales. 6. quænam eorum officia. 7. propter quos à Deo sint creati. 8. quæ repugnantia vel repellentia à nobis sanctos Angelos.

De malis similiter dicatur, 1. quòd sint. 2. quid sint. 3. & à quo & quomodo primùm sint creati. 4. quales nunc sint. 5. vnde sit ipsorum malitia. 6. quotuplices vel quæ species. 7. quales & quænam eorum actiones. Et huc pertinent omnia opera diaboli, vt sunt, 8. veneficia. 9. incantationes. 10. Necromantiæ. 11. Auguria. 12. Magia. 13. infectiones aëris vel pestilentiæ. 14. multiplicia furta. Huc pertinent etiam loci de organis diaboli. 15. vt sunt impij exorcistæ. 16. pythonici vel fatidici. 17. incubi & succubi, & alij innumerabiles plures.

DE VISIBILIBVS CREATVRIS.

Visibiles creaturæ dicuntur, quæ in oculos incurrunt & diuiduntur in simplices & mixtas:

tas: Simplices sunt, cœlum, stellæ & quatuor elementa, ignis, aër, aqua & terra. Mixtæ verò dicuntur ex his compositæ, & sunt duplices: Imperfectè mixtæ, vt fulmina, vapores, meteora. Et perfectè mixtæ, quæ subdiuiduntur in inanimatas & animatas.

Inanimatæ dicuntur, quæ non habent internam vitam, aut ex sese vim aliquam crescendi, sed augentur ex qualitate compositæ materiæ sole sic operãte, vt sunt lapides, gemmæ & omnes generis metalla. Animatæ verò creaturæ dicuntur, quæ habent in se vim & naturam crescendi, & distribuuntur in non sentientes & sentientes.

Non sentientes sunt arbores, plantæ & similia ex terra nascentia. Sentientes sunt duplices: Irrationales, vt sunt omnia bruta animalia, pecora campi, pisces maris, volucres cœli, reptilia terræ.

Rationales sunt homines, quorum aliqui sunt extra Ecclesiam, vt Iudæi, Turcæ & aliæ innumeræ gentes. In Ecclesia sunt soli filij Dei. Hic dicatur primùm de Ecclesia in genere: deinde seorsim etiam de Ecclesiæ membris, quod vt commodius fieri possit, homo hìc in triplici statu considerandus erit.

1. In statu innocentiæ, qualis scilicet fuerit ante lapsum.

2. Qualis sit factus in lapsu.

3. Et

3. Et qualis nunc sit ex seſe, & ex gratia post lapsum.

DE HOMINE ANTE LAPSVM.

1. Dicatur à quo. 2. vnde vel ex qua materia. 3. quomodo, vel in qua forma. 4. ad quid sit conditus. Coincident ergò hic loci de imagine Dei, de iustitia originali, de viribus integris, vel libero arbitrio. Item de coniugio, vbi dicendum erit primo, quòd sit vitæ genus Deo gratum. 2. concessum omnibus hominibus. 3. quid sit. 4. quæ forma. 5. quæ materia, ex qua. 6. quæ causæ impulsiuæ. 7. quæ efficientes. 8. & qui fines. Item huc pertinet etiam locus de Dominio & potestate hominis in omnes creaturas, vbi disputatur de iure, quod sibi magistratus præ subditis in creaturas aliquas sumit. Item de venatione, an & quibus sit concessa. Item, de communione omnium rerum, an sit iuris naturæ.

DE HOMINE IN LAPSV.

Dicatur 1. quòd sit lapsus. 2. quid sit. 3. quæ causæ lapsus. Vbi etiam de cõtingentia, & libertate humana dicendum erit. 4. quæ forma secuta lapsum, vel qualis sit factus homo in lapsu. 5. qui effectus vel quæ pœnæ lapsus.

DE

DE HOMINE POST LAPSVM.

Homo post lapsum alius est impœnitens ex seſe, alius verò pœnitens ex gratia. De homine per se considerato, vel impœnitente dicatur, quid vel qualis sit. Secundò & quod peccatum innatum propagetur in posteros. Pertinet ergò huc locus de peccato originis, de quo dicendum est. 1. quòd sit. 2. quid sit. 3. quæ partes vel quænam eius subiecta. 4. quæ causæ. 5. qui fines, & quæ pœnæ. 6. qui fructus, hoc est, quænam peccata ex originali oriantur. Huc pertinet locus de peccato actuali, de quo ostendendum est. 1. quòd sit. 2. quæ eius species. Dicatur autem hic tantùm de duabus speciebus, videlicet de peccatis mortalibus, & de peccato in Spiritum sanctum. Nam de tertia specie, de venialibus scilicet peccatis infrà suo loco dicendum erit. De mortalibus peccatis verò dicatur. 1. quænam sint. 2. quæ causæ. 3. quæ species. Possunt autem omnium horum peccatorum species commodissimè distribui in duas classes, secundum duas legis diuinæ tabulas, aut enim peccamus in Deum, aut in proximum.

DE PECCATIS PRIMÆ TABVLÆ.

Peccata contra primum præceptum sunt:

1. Ido-

1. idolatria cum omnibus suis speciebus. 2. ignoratio essentiæ & voluntatis diuinæ. 3. dubitatio de Deo. 4. contemptus Dei. 5. diffidentia. 6. desperatio. 7. Immodica fiducia humanorum præsidiorum. 8. præsumptio confidens proprijs viribus. 9. tentatio Dei. 10. odium Dei. 11. fremitus & indignatio aduersus Deum in ærumnis. 12. securitas. 13. nimia trepidatio & pusillanimitas. 14. ficta humilitas. 15. superbia spiritualis. 16. hypocritica tolerantia cruciatuum sponte accersitorum. 17. impia pertinacia hominum fanaticorum, in tolerandis supplicijs. 18. ἀποστασία seu defectio à fide. 19. superstitiones variæ.

DE PECCATIS CONTRA secundum præceptum.

Peccata pugnantia cum secundo præcepto sunt: 1. Ingratitudo erga Deum. 2. omissio inuocationis. 3. inuocatio idolatrica, cuius species sunt: Inuocatio Ethnica, Turcica, Iudaica, Papistica, directa ad homines mortuos, & aliæ plures. 4. hæreses pugnantes cum verbo Dei. 5. corruptelæ sanæ doctrinæ. 6. desertio & abiectio veritatis in persecutionibus. 7. execrationes & blasphemiæ nominis diuini. 8. periuria. 9. impia iuramenta. 10. sophisticæ interpretationes iuramentorum. 11. abusus nominis diuini ad varios prætextus peccato-

torum. 12. prophanationes dictorum scripturæ, & abusus eorundem ad ioeos impios & obscænos. 13. incantationes, quæ fiunt facta mentione nominis diuini. 14. exorcismi impii.

PECCATA CVM TERTIO præcepto pugnantia.

Peccata contra tertium præceptum sunt. 1. epicureus contemptus omnium religionum. 2. contemptus sacrarum concionum. 3. & sacramentorum. 4. omissio lectionis sacræ. 5. prophanatio sabbati, quæ fit varijs modis, vt deambulationibus sub actu sacro, commessationibus, lusu: Item laboribus nõ necessarijs, & impedientibus exercitia pietatis. 6. negligentia in audiendis sacris conciombus. 7. negligentia ministrorum Ecclesiæ. 8. Improbatio vel abrogatio piarum & tolerabilium ceremoniarum. 9. Iconomachia illicita & illegitima. 10. prophanatio ædium sacrarum, vel destructio templorum Dei. 11. dissipatio bonorum Ecclesiasticorũ. 12. nundinæ & mercaturæ diebus sacris vsitatissimæ. 13. superstitio Iudæorum, qui sine discrimine aut respectu vllius vel necessitatis vel dilectionis, omnem laborem in tertio præcepto prohiberi contendunt.

PECCATA CONTRA quartum præceptum.

Peccata

Peccata pugnantia cum quarto præcepto sunt: 1. omnia parentum vitia, vt sunt licentia & indulgẽtia nimia, item negligentia in educatione, nutritione & exercitijs pietatis. Item nimia austeritas & inclementia. 2. liberorum vitia, vt sunt contemptus parentum, inobedientia, ingratitudo, petulantia & prouocatio ad itã. Item stultitia, inimicitia inter fratres & sorores, & similia. 3. coniugum vitia, vt sunt amor simulatus, fastidium, suspitiones, morositas, inobedientia, negligentia in officijs Oeconomicis &c. 4. Præceptorum vitia, vt sunt negligentia in studijs, in institutione puerorum, in examinibus & disciplina. Item prauitas morum, qua iuuentus offenditur. 5. discipulorum vitia sunt, contemptus præceptorum, ingratitudo, negligentia in studijs, turpitudo morum, inobedientia, contumacia, arrogantia, contemptus condiscipulorum & similia.

6. Magistratus peccata sunt: contemptus verbi, Ecclesiæ, Iuris & honestatis, indulgentia & lenitas non irascens turpitudini, nec puniens delicta, vel, tyrannis & iniusta asperitas: Itẽ iniustitia, inæqualitas & captatio munerum in puniendis sceleribus, turbatio pacis, immodicæ expilationes, onera iniusta, voluptates nimiæ, prodigalitas & sumptus immoderati.

7. Subditorum peccata sunt: inobedientia, seditio, contemptus superiorum, denegatio debitorum tributorum &c.

8. Dominorum peccata sunt: Non dare seruis victum necessarium, non curare familiam, non ordinare & disponere labores. Item onera intolerabilia imponere, & mercedem debitam non soluere.

9. Seruorum peccata sunt: Infidelitas, ignauia, negligentia, inobedientia, contemptus, impatientia & alia plura.

PECCATA CONTRA quintum præceptum.

Peccata pugnantia cum quinto præcepto sunt duplicia interna & externa.

INTERNA SVNT.

1. Maleuolentia. 2. ira vel iracundia. 3. odium. 4. inimicitiæ. 5. inuidentia & liuor dolens alios crescere. 6. gaudere aliorum incommodis. 7. immisericordia vel inclementia. 8. simulatio beneuolentiæ. 9. diffidentia. 10. furor.

EXTERNA SVNT.

1. Imprecationes. 2. rixæ & contentiones. 3. instigare alios, vt noceant proximo. 4. φιλονικία pugnans de rebus leuibus, nec cedens alijs.

alijs. 5. omnes iniuriæ prouocantes ad iram. 6. digladiationes. 7. vulnerationes. 8. mutilationes. 9. fortuitæ cædes. 10. homicidia. 11. vindicta priuata & illicita. 12. violentia & crudelitas in puniendis delictis. 13. indulgentia conniuens ad delicta enormia. 14. perfidia & timiditas deserens eos, quibus debetur defensio. 15. temeritas accersens sibi & alijs vitæ pericula. 16. latrocinia. 17. proditiones. 18. denegatio debitorum beneficiorum. 19. insidiæ alterius vitæ structæ. 20. veneficia. 21. corruptio cibi & potus. 22. μισανθρωπία & morositas, nullam suauitatis aut beneuolentiæ significationem erga alios ostendens. 23. Item sibi ipsi manus inferre. 24. aut valetudinem intemperantia, libidinibus, immodicis laboribus, inedia, aut simili ratione lædere. 25. impia, iniusta & non necessaria bella. 26. item bella intestina. 27. & militum vitia.

PECCATA PVGNANTIA cum sexto præcepto.

Peccata pugnantia cum sexto præcepto sunt duplicia. Interna sunt incendia & flammæ libidinum, omnes concupiscentiæ carnis, impudicæ & spurcæ cogitationes, zelotypia, simulata castitas, & alia plura.

Externa sunt: prohibitiones & vituperationes coniugij & sexus muliebris, vita monastica,

ſtica, colloquia inhoneſta aut pernitioſa, & ſemina diſſidiorum inter coniuges ſpargentia, obſcæni ſermones, ſtultiloquium, ocioſæ fabulæ, in quibus nihil eſt eruditionis & pietatis. Et huc pertinent, qui tales libellos ſcribunt & legunt. Scurrilitas ludens facetiis inhoneſtis, leuitas in ſpondendo & deſpondendo. Obſcœnitas in aſpectu, geſtibus, veſtitu, choreis & alijs. Vagæ libidines & ſcortationes extra coniugium. Meretricium, & peccati huius autores, atque adiutores, vt ſunt: qui fouent, hoſpitio excipiunt, & conſilio iuuant perſonas inhoneſtas. Item internuncij, vetulæ parantes phyltra, & alijs malis artibus copulantes inter ſe iuuenes. Item raptus, ſtupra, inceſtus, adulteria, iniuſta diuortia, ebrietas, crapula, luxuria, lenocinium formæ, conuerſatio cum impudicis, conuenticula ſuſpecta & cætera.

PECCATA CONTRA ſeptimum præceptum.

Peccata pugnantia cum ſeptimo præcepto ſunt itidem duplicia.

INTERNA.

Auaritia, excogitatio dolorum & artium inhoneſtarum, nimia tenacitas, ſolicitudo illicita & prohibita, cupiditas, auri ſacra fames &c.

EXTERNA.

Fraudes in negotijs variæ, furta manifesta & occulta, rapinæ, latrocinia, sacrilegia vel dissipatio bonorum Ecclesiasticorum, peculatus, abigeatus, plagium, prodigalitas, & profusiones variæ in sumptuosis ædificijs, conuiuijs &c. Anabaptistica rerum communio, vsuræ & quæstus immodicus in quauis negociatione. Item non reddere debitum, monopolia, & impiæ asseruationes frugum & aliarum rerum. Iniustitia in vendendo & emendo multiplex. Potest enim fieri vt peccetur pondere, mensura, vlna & alijs modis. Iniusti contractus, mercaturæ illicitæ & mercatorũ vitia. Mercenariorum & seruorum peccata, vt sunt ignauia, negligentia, infidelitas &c. Denegatio iustæ mercedis, mutatio limitum in agris. Mendicitas non necessaria, lucra inhonesta, ad quæ pertinent ars histrionica, lusus & similia, inhospitalitas, ocium, ignauia, negligentia in rebus proprijs vel parandis vel conseruandis, somnus immodicus & similia.

PECCATA CONTRA octauum præceptum.

Peccata pugnantia cum octauo præcepto sunt:

INTERNA.

Suſpiciones, falſæ opiniones, perſuaſio ſapientiæ & aliarum virtutũ, ex cogitatio mendaciorum, perfidia, fauor veritatem opprimens, peruerſum ſtudium docendi & diſcendi.

EXTERNA.

Mendacia, quæ ſunt triplicia: Iocoſa, officioſa & pernicioſa. Calumniæ forenſes & domeſticę. Sophiſtica periuria, conſilia fraudulenta, falſa teſtimonia, quibus ſæpe in iudicio Iuriſtæ, Notarij, Aduocati adhibiti teſtes, & alij peccant. Moroſitas ſeu toruitas, quæ faſtidioſè alios audit, & duriter alloquitur. Violatio fœderum, rumores falſi, contumeliæ, acerbitates & obtrectationes, iactantia, garrulitas vel vanitas in ſermone, ſtulta credulitas, inconſtantia indictis & promiſſis, duplicitas linguæ aliud loquens & aliud ſentiens. Pertinacia in defenſione falſarum opinionum, adulatio, aſſentatio, argutiæ, & ſubtilitates non neceſſariæ in omnibus doctrinis. Deprauationes verarum ſententiarum, Infidelitas in docendo, falſæ accuſationes & defenſiones, prætextus & abuſus veritatis & iuris, Hypocryſis & ſimulatio. Petulantia linguæ & ſcommata. Taciturnitas vitioſa, & improba, vel diſſimulatio eorũ, quæ reprehenſione

sione digna sunt. Proditio vel reuelatio arcanorum. Chiromantiæ & omnes similes artes, quæ fundamentis incertis nituntur.

PECCATA PVGNANTIA cum 9. & 10. præcepto.

Peccata pugnantia cum 9. & 10 præcepto sunt:

INTERNA.

Concupiscentia personarum & rerum alienarum, inuidia vel inuidentia, omnes appetitus vitiosi. Item indulgere concupiscentijs, easque ardentiores reddere. Ambitio, fastidium rerum præsentium, studium nouitatis, tentationes, quarum aliquæ ex Deo, aliæ vero ex diabolo sunt.

EXTERNA SVNT.

Practicæ & artes variæ, quibus aliorum ministros abalienamus & impellimus vt stationem suam deserant.

ADMONITIO.

Peccata iam numerata singula in locis communibus sic disponantur. Primùm tribuatur folium Antitheſi, deinde vnum vel alterum eiusdem confutationi. Tertio rursus vnum propositioni & eius declarationi praeterea vnum etiam confirmationi. His addantur ad minimum adhuc tria, in quibus argu-

menta deteſtationis iuxta ordinem in methodo monſtratum diſponantur. Enumeratis ſpeciebus peccatorum nunc etiam de effectibus & pœnis eorum dicendum erit. Sunt autem effectus omnia incommoda ſequentia, & multiplicia ſcandala, quibus proximus offenditur. Dicatur ergo hîc de ſcandalo, quid ſit, quæ ſpecies, ſcilicet, acceptum & datum, & de ſingulis rurſus ſeorſim. Pœnæ verò peccatorum ſunt duplices, præſentes & futuræ vel temporales & æternæ.

Temporales vel præſentes enumerantur Leuit. 26. prolixè, & ſunt: fames, inopia, bella, peſtis & alij innumeri morbi. Item infamia, amiſſio donorum, infelicitas conſiliorum & laborum. Infelicitas liberorum, errores & furores: In ſumma omnes calamitates publicæ & priuatæ. Item, reatus & dolores conſcientiæ, mors & ſimilia, quibus omnibus & ſingulis peculiares ſui loci tribuantur. Pertinent autem huc loci de luctu & ſepultura mortuorum. Item de animis ſeparatis à corpore, quò perueniant, & qui ſit earum ibi ſtatus.

ÆTERNÆ POENÆ SVNT.

Dolores inferni & cruciatus perpetui, de quibus in varijs locis ſcripturæ dicitur. Hic autem ſeorſim dicendum erit de inferno. 1. quòd ſit. 2. vbi ſit. 3. quid ſit. 4. quæ pœnæ, &

qui

qui cruciatus inferni. 5. & qui sint in eo cruciandi, vel qui sint rei æternę damnationis. Coincidit etiam in hoc loco disputatio de purgatorio, an sit, vel an sit reditus ex inferno. Et tantum de homine post lapsum, qualis videlicet sit ex sese naturaliter. Iam vlterius considerandum erit, qualis fiat ex gratia.

DE HOMINE POST LAPSUM in statu gratiæ.

Sacra scriptura discernit veram Ecclesię membra, vel homines sub gratia, à reliqua parte generis humani, duobus certis titulis, quorum vterque peculiari cœtui hominum tribuitur. Eos enim, qui sunt recipiendi in gratiam, hoc est, qui peccata agnoscunt & veniam à Deo petunt, vocat pœnitentes. Alios verò, qui pœnitentiam egerunt, & in gratiam recepti sunt, nominat iustos. De vtrisq; ergo hic seorsim dicendum erit.

DE POENITENTIBVS.

Hic dicatur 1. de vocabulo ipso, quid significet. 2. quid sit pœnitentia. 3. quæ eius species. Potest enim distingui in veram & falsam, in publicã & priuatam. De priuata dicatur quid sit, & quæ eius partes. Et ponantur hîc in antithesi partes, quas Papistæ numerant, & indicetur

cetur quænam ex eis, & quatenus cum nostris conueniant. Quæ verò cum verbo Dei pugnent ordine confutentur. Reliquæ verò cum nostris coniungantur. Sunt autem veræ pœnitentiæ partes tres; Contritio, Fides & noua obedientia, vel bonum propositum, quod à fide, tanquam fructus eius, exoritur.

DE CONTRITIONE.

De contritione dicatur, 1. quid sit. 2. quòd sit necessaria ad veram pœnitentiam. 3. quæ species vel quæ discrimina inter contritionem hypocriticam, veram, & eam quam Papistæ asserunt. 4. quæ partes contritionis. Sunt autem agnitio, dolor vel deploratio, & confessio peccati, quæ est triplex, 1. quæ fit coram Deo. 2. coram fratre. 3. coram ministerio. De cuius forma dicendum erit, an sit necessaria scrupulosa peccatorum enumeratio. 5. Dicatur quæ sint causæ efficientes contritionis. Numerantur autem vsitatè tres, 1. Lex Dei. 2. Spiritus sanctus. 3. Mens & voluntas humana. De his probandum est. 1. Quòd necessario concurrant, & præterea ostendendum, quomodo concurrant, vel vnde sint hæ mentis & voluntatis actiones. Deinde hic de doctrina legis copiosè differendum & dicendum erit. 1. de significationibus vocabuli. 2. quid sit lex Dei in genere. 3. Quæ partes,

nempe

nempe tres: Ceremonialis, forensis & moralis. 4. de harum partium discrimine vel an & quænam ex eis sint abrogatæ. 5. de morali seorsim, quid sit: vnde sit: quid requirat, quibus sit data, an sit in ecclesia retinenda. Item, qui sint vsus & effectus eius. & an homo possit eam proprijs viribus implere.

DE FIDE.

De fide dicatur, 1. quòd sit necessaria ad veram pœnitentiam. 2. de speciebus fidei: alia est enim tantùm historica, alia vera fides. 3. de vera fide, quid sit. 4. quæ eius partes, nempe, notitia, assensus & fiducia. 5. quæ subiecta, nempe mens, voluntas & cor. 6. quæ causa efficiens, nempe Spiritus sanctus. 7. quæ instrumentalis, verbum seu Euangelium. 8. quid voluntas hominis hîc agat, quæ quidem assentitur, sed non ex sese aut suis viribus. Verum efficaciter mota, & reformata prius à Spiritu sancto. Dicatur igitur hoc in loco, vnde sit in mente notitia, in voluntate assensus, & in corde fiducia.

Porrò hîc locus de Euangelio prolixius tractandus erit, & dicendum. 1. quid vocabulum significet. 2. quid sit Euangelium. 3. quæ causæ, vel an sit natura notum. 4. an Patres in veteri testamento habuerint eius cognitionem, vel an vna & eadem sit doctrina veteris & noui

& noui testamenti, & huc pertinet etiam locus de discrimine legis & Euangelij, & mutua eorum opera. 5. de forma, an sit vniuersale, & ad omnes homines tàm gentes quàm Iudæos pertineat. 6. qui sint effectus Euangelij. 7. quæ sint partes, duę scilicet: verbum promissionis, & signa addita promissioni, quæ sunt duplicia: alia enim erant in veteri testaméto, & alia nunc sunt in nouo testamento. De promissione dicatur. 1. à quo, quando, vbi & quibus sit data. 2. qui sit verus eius sensus. 3. an patres etiam sic acceperint & intellexerint. 4. an cũ promissionibus noui testamenti per omnia conueniat. Dicatur ergo hîc primùm generaliter de sacramentis, quid sint, quæ causæ & qui effectus. Deinde in specie de sacramentis veteris testamenti, videlicet de circumcisione, de sacrificijs, & victimis, denique & de sacramentis noui testamenti, vt sunt Baptismus & cœna Domini, quibus annumeratur etiam, sed minus propriè, Absolutio.

DE BAPTISMO.

De baptismo dicatur. 1. an sit necessarius. 2. quid sit. 3. quæ causæ efficientes. 4. quæ partes substantiales. 5. quæ obiecta, vel qui sint baptisandi. Et huc pertinet disputatio de baptismo infantium. 6. quæ forma & an iterandus sit baptismus. 7. qui fines, effectus, & quę

sint

commoda baptismi. & quæ sit differentia inter baptismum Christi, Iohannis Baptistæ, & aliorum ministrorum Ecclesiæ.

DE POTESTATE CLAVIVM.

De potestate clauium dicatur. 1. quæ partes, scilicet absolutio & excommunicatio. De absolutione dicatur, quòd sit duplex, publica & priuata. De priuata quæritur, quid sit? vnde sit? An sit in Ecclesia retinenda, quæ eius forma? quæ obiecta, vel qui sint absoluendi, qui effectus & fines. Item, an sit sæpius repetenda.

De excommunicatione dicatur. 1. an sit. 2. & vnde sit. 3. quæ forma, vel qui ritus olim in publica peccatoris excommunicatione sint adhibiti. 4. quinam debeant excommunicari. 5. & qui sint fines & effectus excommunicationis.

DE COENA DOMINI.

De cœna Domini dicatur. 1. de appellationib⁹ & diuersis nominib⁹. 2. quid sit. 3. de causa efficiente. 4. de materia ex qua, vel quid in cœna distribuatur. 5. de materia circa quam, vel qui sint admittendi. 6. quæ forma. Vbi probandum erit quòd etiam Laicis vtraque pars sacramenti distribuenda sit. 7. quæ instrumen-

strumentales causæ, vel quomodo corpus & sanguis Christi sumantur, orene vel fide tantùm. 8. de vsu & finibus, vbi prophanatio & horribilis abusus in Papatu taxandus, & copiosè de Missa Papistica dicendum erit. Et coincidit hîc simul locus de sacrificijs noui & veteris testamenti, quæ, quotuplicia, & qui fines eorum sint. 9. dicatur an sæpius, & quomodo sit accedendum ad cœnam dominicam, vel de præparatione. 10. de effectibus varijs cœnæ in dignis & indignis, & de pœnis abutentium. Et quia inter alios vsus cœnæ dominicæ non est postremus, vt sit nervus publicæ congregationis, & societatis Ecclesiæ:

ECCLESIA.

Potest hîc inseri etiam locus de Ecclesia, de qua quæritur. 1. an sit cœtus visibilis. 2. quid sit. 3. quæ causæ efficientes, vel per quæ media colligatur. 5. quæ forma, vbi dicatur, quòd sit cœtus mixtus ex bonis & malis, quòd sit vna, non alligata certo loco sed vbique dispersa. quæ eius notæ.

CRVX ECCLESIÆ.

Item, quòd sit cœtus exiguus, pauper, afflictus, & huc pertinet locus de cruce, eius causis & finibus. 6. dicatur, quodnam sit caput Ecclesiæ & huc pertinet disputatio de potestate

potestate Papæ. 7. quòd duratura sit Ecclesia vsque ad finem mundi. 8. qui effectus & quæ cõmoda, vel de spiritualibus & corporalibus Ecclesiæ bonis. 9. de authoritate & potestate Ecclesiæ, vbi etiam de concilijs & synodis dicendum erit. 10. dicatur etiam, quæ species, & describatur falsa Ecclesia, qualis sit, quòd semper fuerit, quæ eius notæ, quæ pœnæ, & cur fugienda.

DE NOVA OBEDIENTIA VEL BONO PROPOSITO.

De noua obedientia vel bono proposito dicatur. 1. quòd sit pars seu potius fructus pœnitentiæ. 2. quòd sit necessaria. 3. quid sit. 4. quæ eius partes, duæ scilicet, cessare à malo & facere bonum. 5. & quæ causæ. Reliqua sequentur infrà in loco de bonis operibus.

DE IVSTIS.

Qui per veram pœnitentiam redierunt ad gremium Ecclesiæ, & à Deo in gratiam recepti sunt, dicuntur iusti duplici ratione, scilicet imputatione & inchoatione, quod vt rectius intelligatur, de singulis seorsim dicendum est.

DE IVSTIS IMPVTATIONE.

Iusti imputatione dicuntur, qui sine suis

meritis à Deo in gratiam recipiũtur, & omnium ſuorum peccatorum gratuitam remiſſionem impetrant. De hac imputata iuſtitia dicatur 1. quid ſit. 2. quòd ſit, vel an omnium ætatum homines hoc modo iuſtificati & iuſtificandi ſint, 3. vnde ſit, vel quæ eius cauſæ efficientes. 4. quæ materia ex qua. 5. quę cauſæ inſtrumentales. Et hic probandũ erit, quòd ſola fide iuſtificemur. 6. quæ obiecta, vel quibus hęc iuſtitia contingat. 7. qui effectus huius iuſtitiæ. Sunt autem lætitia & pax conſcientiæ, victoria diaboli, peccati, mortis, & omnium tentationum. Item, libertas Chriſtiana, pro quibus ſingulis hic peculiares loci conſtituendi ſunt.

DE IVSTIS INCHOATIONE.

Iuſti inchoatione dicuntur, qui renouati gratia Spiritus Sancti in vijs Domini ambulant, & in operibus bonis ſeſe ſtudioſè exercent.

Dicendum ergo hic erit. 1, quid ſit renouatio Spiritus. 2. quæ cauſæ inſtrumẽtales. 3. quæ ſubiecta, vel in quibus partibus hominis fiat. 4. qui effectus, vel quæ opera ſequentia hanc renouationem. Et huc pertinet tota doctrina de bonis operibus, de quibus ſciendum eſt, 1. quid & quodnam ſit bonum opus. 2. an neceſſaria ſint bona opera. 3. quæ eorũ cauſæ efficientes,

entes, vel quomodo præstari possint. 4. quæ forma, hoc est, an perfectè à nobis fieri possint. Et huc pertinet disputatio de peccatis in sanctis, an sint reliqua & quænam. Nam hîc interveniale, mortale & peccatum in Spiritũ sanctum accuratè discernendum est. Singulis ergo hic sui loci tribuantur, id est, dicatur quid sint, quæ formæ, quæ causæ, & qui effectus. 5. quomodo placeant Deo bona opera. 6. qui fines & effectus, vel propter quas causas sint facienda. 7. quę species bonorum operum. Et distribuantur hic rursus omnia bona opera secundum duas decalogi tabulas, in duas classes. Quædam enim sunt præstanda Deo, quædam verò proximo.

DE PRIMA TABVLA.

DE BONIS OPERIBVS PRIMI præcepti.

Prima tabula continet ea opera, quæ Deo præstanda sunt, & docet, quæ cordis, oris & reliquorum membrorum obedientia esse debeat.

Primum verò præceptum de motibus cordis loquitur, & eius bona opera sunt:

1. Agnitio Dei, quæ duplex est Philosophica & Christiana, vel perfecta & imperfecta. Dicatur ergo de discrimine & causis vtriusque.

2. Fides in Deum, quæ hic tantùm generaliter describenda est. De fide enim specifica, quam promissio Euangelij à nobis requirit, suprà in loco de pœnitentia dictum est.
3. Dilectio, qua nos Deum diligere debemus.
4. Spes. 5. timor Dei, qui duplex est, seruilis & filialis. 6. humilitas. 7. patientia. 8. perseuerantia. De quibus singulis iuxta præcepta Methodi tituli locorum ex regulis vitæ D. Chytræi petendi & disponendi sunt.

DE SECVNDI PRÆCEPTI BONIS OPERIBVS.

Secundum præceptum loquitur de obedientia oris, & sunt eius opera. 1. Sanctificatio nominis diuini, cuius multæ sunt species. 2. gratiarum actio pro beneficijs diuinis. 3. vera inuocatio, quæ à falsa probè discernenda est, & dicendum de vera, quis sit inuocandus, quomodo, quæ res petendæ, & quo discrimine, & quæ sit precationis dignitas & efficacia, vel qui effectus. 4. prædicatio nominis diuini. 5. confessio. 6. Iusiurandum, de quo dicendum erit: an liceat iurare, quid sit iuramentum, quæ sint eius species. Sunt enim Iuramenta duplicia, licita & illicita. Quæ forma licitorum? Quæ partes & qui effectus iuramenti liciti & illiciti.

DE

DE TERTII PRÆCEPTI BONIS OPERIBVS.

Tertium præceptum loquitur de externa obedientia, vel de externis operibus præstandis Deo, & sunt. 1. sanctificatio Sabbathi, vbi dicendum erit. 1. quid sit Sabbathum. 2. quæ species, vbi etiam de festis Apostolorum & alijs sermo incidit. 3. an rectè faciant Christiani pro sabbatho diem solis sanctificantes? 4. quæ debeat esse forma sanctificationis, vel quomodo sit sabbathum sanctificandum. 5. qui fines. 6. quæ partes. Vt enim sabbathum rectè sanctificetur necesse est, & doctores & auditores officium suum facere. Est ergò secundum bonum opus huius præcepti officium doctorum, vel propagatio sanæ doctrinæ. Et huc pertinet locus de ministerio Euangelij, de quo dicendum erit. 1. quid sit, & ponantur hîc ordine vsitatæ definitiones Prophetarum, Apostolorum, Euangelistarum, Doctorum, & aliorum ministrorum. 2. an liceat vocare & ordinare ministros. 3. ad quos pertineat ius vocationis, vel de causis efficientibus, propinquis & remotis. 4. de forma vocationis, vel quomodo fieri debeat. 5. qui & quales sint vocandi. 6. quomodo ordinandi, vbi etiam de publico ritu & impositione manuum copiosius dicendum erit. 7. quinam

sint gradus vocatorum. 8. an expetere munus docendi & offerre operam suam Ecclesiæ liceat. 9. qui debeant esse mores ministrorum. 10. quodnam sit eorum officium. 11. & quomodo administrare debeãt. 12. quæ sint ministerij partes. 13. qui fines. 14. quæ eius dignitas, efficacia & potestas. 15. qui effectus, & quæ præmia. Alia enim Deus promittit, & alia mundus reddit.

Tertium bonum opus est institutio & cõseruatio externi in Ecclesia cultus, vbi dicendum erit de ritibus, vel ceremonijs Ecclesiasticis. 1. quæ sint species. 2. quę differentiæ. 3. de Adiaphoris, vel rebus mediis. Et huc pertinet disputatio de imaginibus & statuis, an sint in Ecclesia retinendæ an verò eijciendæ. 4. de ritibus necessarijs, quinam sint. 5. cur instituti. 6. quomodo obseruandi. 7. qui fines.

Quartum bonum opus tertij præcepti est officium auditorum Euangelij, vbi dicendum erit. 1. quotuplices sint auditores. 2. quosnam diuus Iacobus vocet veros auditores & factores verbi. 3. quodnam sit eorum officium. 4. quæ sint huius officij partes, nempe hæ sex: 1. diligentia in omnibus partibus ministerij tuendis, vel discere, audire & amplecti Euangelium, vti sacramentis, & honestate morum ornare professionem doctrinæ. 2. reuerentia erga ministros. 3. obedientia in his, quæ ad

ministerium petinent. 4. ὁμόνοια tegens ministrorum infirmitatē 5. collatio facultatum ad alendos docentes in Ecclesia & Scholis. 6. Pia obseruatio ceremoniarum publicarum. His singulis partibus loci peculiares tribuendi sunt.

DE SECVNDA TABVLA.

DE BONIS OPERIBVS QVARTI præcepti.

Secunda tabula continet bona opera, quæ proximo præstare debemus, & comprehenduntur omnia in hoc præcepto: Diligas proximum, sicut teipsum. Generaliter ergò hic de dilectione proximi dicendum erit. 1. quis sit proximus. 2. quomodo diligendus. 3. quæ sint huius dilectionis partes. Non possunt autem commodius omnes dilectionis partes, quàm secundum præcepta secundæ tabulæ enumerari. Sunt ergo opera quarti præcepti. 1. honorare parentes. Quod vt rectius intelligatur, vtrunque declarandum est, quosnam Deus sub titulo parentum intelligi velit, & quomodo sint honorandi. Certum autem est, per parentes intelligi non tantùm eos, à quibus in hanc lucē procreati sum⁹, sed præterea omnes etiam alios, qui paterna nobis beneficia præstant, vt sunt politicus magistratus,

Præceptores, Tutores, Domini & cognati noſtri.

DE PARENTIBVS.

De parentibus primò dicatur, quæ ſint ſpecies. Sunt enim duplices: Honeſti & inhoneſti, qui ex illicita conſuetudine liberos procreant. Horum hic peccatum adductis certis rationibus deteſtandum erit.

De honeſtis parentibus dicatur. 1. qui ſint. 2. quæ ſpecies. Sunt enim aliqui negligentes non curantes liberos & familiam. Alij verò diligentes, qui officium ſuum recte faciunt. Sunt autem huius officij quatuor partes. 1. Inſtitutio in ſana doctrina & capitibus pietatis. 2. doctrina vel cultura artium bonarum, quæ in communi vita proſunt. 3. diſciplina & honeſta morum gubernatio. 4. nutritio & defenſio liberorum. De his ſingulis partibus ſeorſim dicendum eſt, & monſtrandæ ſunt cauſæ, propter quas hoc ſuum officium in omnibus partibus, parentes diligenter facere debent.

DE MAGISTRATV POLITICO.

De magiſtratu dicatur primò, an vita politica ſit ordinatio Dei. 2. quid ſit. 3. quæ ſint ſpecies politicæ gubernationis. Alia enim eſt

μοναρ-

μοναρχία, alia ἀριστοκρατία, & alia etiam δημοκρατία. Quæ singulæ declarandæ, & inter se conferendæ sunt. 4. quæ forma gubernationis sit optima. 5. qui sint politici magistratus fines. 6. quæ materia ex qua, vel qui & quales ad politica imperia sint eligendi. 7. qui personarum gradus, & an sint illi gradus dominorum ex Deo, & huc etiam pertinet prolixa disputatio de nobilitate, an sit, quæ sit, vnde sit, & qui eius fines. 8. quæ sint officia magistratus. Hæc rectius distingui non poterunt, quàm secundum personarum discrimina. Aliud enim est officium Principis, aliud eius cancellarij, aliud præfecti, aliud etiam iudicis. De his singulis personis, & eorum officijs rursus seorsim dicendum erit. 9. referatur etiam huc doctrina de aulis, vita aulica & eius forma.

DE PRÆCEPTORIBVS.

Dicatur 1. quæ species, vel qui gradus præceptorum. Et hic incidit quæstio an pugnet cum verbis Christi: Nolite vocari Rabbi &c. consuetudo scholarum, quæ hodie adhuc in distributione & collatione graduum seruatur. 2. quæ forma, vel quales esse debeant, qui cum fructu aliquo in scholis seruire volunt. Debent enim habere non tantùm eruditionem, sed etiam mediocrem peritiam & prudentiam in studijs & moribus adolescen-

rum formandis, & ſuis inſuper diſcipulis honeſtate vitæ, & bono exemplo prælucere.

3. Qui fines, vel quæ officia. Sunt autẽ duæ partes officij fidelium Præceptorum. Prima doctrina, ſubditorum inſtitutio. Secunda diſciplina, vel honeſta gubernatio morum. Ad prius ſcilicet doctrinã pertinet. 1. ordo in tradendis artibus. 2. dexteritas in declarandis præceptis & addendis exemplis. 3. repetitiones & examina. 4. diſputationes. 5. exercitium ſtyli & latinè loquendi.

Ad poſterius verò, diſciplinam ſcilicet pertinent duo: primum aſſuefacere eos ad ſtudiũ pietatis erga Deum, & omnium virtutum ſecundæ tabulæ. 2. inſtare admonitionibus, obiurgationibus, & vbi opus eſt, pœnis etiam ſeuerioribus. Et hic dicatur de formâ pœnarũ, quales eſſe debeant. Modus enim ſeruandus eſt, & cauendum, ne vel nimia auſteritate, vel lenitate peccetur.

DE TVTORIBVS.

De tutoribus dicatur. 1. quales ſint eligendi. 2. quæ ſit eorum poteſtas. 3. quæ inſuper fidelium tutorum officia. 4. de formâ vel quomodo officium ſuum facere debeant.

DE DOMINIS.

De dominis dicatur. 1. an dominium ſit iuris

tis diuini, vel, an velit Deus dominos dominari super seruos suos. 2. quid sit dominium. 3. quæ causæ. 4. quæ forma. 5. quæ officia dominorum, vel quid seruis suis debeant. De cognatis dicetur infra in quinto præcepto.

DE PRÆDICATO IIII. PRÆCepti, vel honore debito parentibus.

Declaratis hoc modo partibus subiecti, nunc prædicatum etiam explicandum erit, & primò dicendum, quid vocabulum honorare in genere significet. Deinde quomodo singuli suo loco, videlicet liberi, subditi, discipuli, pupilli, serui & alij suos superiores honorare debeant.

DE HONORE ERGO IN GENEre dicendum est.

1. Quid sit. 2. quæ partes, & numerantur vsitatè octo. Quarum prima est, comprobatio rerum seu ordinum à Deo institutorum. Secunda, comprobatio personarum. Tertia, reuerentia amans ordinem & personas, & se eis subijciens. Quarta, gratiarum actio pro his donis. Quinta, precatio pro rebus & personis. Sexta, obedientia. Septima, candor in legibus & actionibus personarum iudicandis. Octaua [illegible] tolerans & tegens eorum næuos & infirmitates.

mitates. Hæ ſingulæ partes peculiares locos requirunt. 3. Dicatur etiam quæ ſint cauſæ & fines huius honoris, vel cur ſit præſtandus. Hac generali declaratione abſoluta dicatur de perſonis, qui alijs hunc honorem debent.

DE LIBERIS.

De liberis dicatur. 1. quæ ſpecies. Sunt enim alij grati & obedientes, alij verò ingrati, & inobedientes. Singulis ergò hic ſuus locus tribuatur. 2. De obedientibus dicatur, quæ ſint eorum officia, vel quid parentibus ſuis debeant. Recenſentur autem vel ex dicto Eccleſiaſtici, qui dicit parentes eſſe honorandos ſermone, opere & patientia: vel diſtinguuntur hoc modo, vt primum ſit amor & reuerentia propter Deum ſe parentibus ſubijciens, & lætans, ſi quando poteſt eis ornamento & voluptati eſſe, vel gratum aliquid facere. 2. obedientia. 3. gratitudo. 4. patientia, tolerans eorum infirmitates. 5. φιλαδελφία vel concordia & amor mutuus inter fratres.

DE SVBDITIS.

Probetur primò quod ſit voluntas Dei, vt ſubditi ſeſe ſubijciant politicæ poteſtati. Diuerſum enim hic Anabaptiſtæ ſentiunt. 2. dicatur quæ ſint ſpecies ſubditorum & an omnes Deo placeant. Multi enim premuntur

tanta

tanta seruitute, vt non dominium, sed reuera tyrannis sit, quam exercent superiores. 3. de officio subditorum, quæ distribuuntur in duas partes, in honorem & obedientiam. De honore supra dictum est. De obedientia verò sciendum est continere eam hæc sex officia. 1. voluntatem vltrò se subijcientem. 2. reuerentiam & amorem. 3. omnia officia externa honestis legibus, diuinis & positiuis mandata. 4. opera militiæ togatæ & bellicæ. 5. tributa. 6. metam obedientiæ præscriptam in hoc dicto: Oportet Deo magis obedire quàm hominibus.

4. Dicatur etiam, an hæc obedientia cum omnibus suis partibus etiam improbo magistratui præstanda sit.

DE DISCIPVLIS.

Dicatur 1. quæ species. Sunt enim semper mixti bonis mali, & vt horum peccatum execrandum est, ita illorum officia declaranda & probè inculcanda sunt: Sunt autem quinque præcipuè. 1. Amor literarum & præceptorum. 2. studium & diligentia perspiciens finem discendi, & media ad illum finem ducentia. 3. sedulitas & vigilantia, & animi intentio in medijs illis parandis & tuendis. 4. obedientia sine contumacia. 5. gratitudo præstanda præceptoribus.

IIII. DE PVPILLIS ET ORphanis.

Dicatur & ostendatur. 1. quod debeant suis tutoribus obedientiam. 2. qualem, vel quæ sint partes huius obedientiæ, & possunt hæc etiam ex declaratione honoris supra posita, peti. 3. cur & quomodo sit præstanda hæc obedientia.

V. DE SERVIS.

Dicatur 1. quòd conditio seruorum sit Deo grata. 2. quæ species seruorum. Sunt enim alij fideles alij infideles. 3. quæ causæ seruitutis. 4. quæ formæ, vel quàm diuersæ. Longè enim differt status nostrorum seruorum ab illo, qui olim apud Ethnicos erat, & nunc etiam apud Turcas, & alias gentes barbaras reperitur. 5. quæ officia seruorum. Possunt autem hæc etiam, vel ex vocabulo honoris sumi, vel sic distingui. 1. Debent serui conseruare & promouere honorem herilem: honestè de eis sentire & loqui. 2. etiam inseruire commodis dominorum. 3. sufferre æquo animo aliquas molestias, vt morositatem, aut alios næuos dominorum. 4. & debent hæc omnia, vt Paulus dicit ad Ephes. 6. præstare cum timore & simplicitate, sine fraude & dolo.

DE OPERIBVS V. PRÆCEPTI.

Opera quinti præcepti sunt. 1. Iustitia particularis, suum cuique tribuens, nec corpori proximi nocens. 2. iustitia distributiua pollutos sceleribus, pro delicti qualitate puniens. 3. fortitudo bellica & togata. Et huc pertinet locus de bellis & militia, & omnibus ad bellum pertinentibus. 4. patientia philosophica. 5. mansuetudo vel longanimitas. 6. placabilitas. 7. misericordia & clementia erga proximum. Et huc pertinet locus de Eleemosynis. 8. Φιλόξενια. 9. studium concordiæ & pacis. 10. amicitia, & hic etiam de amicis dicatur. 11. fidelitas seruans constantiam in omnibus amicitiæ officijs. 12. humanitas. 13. zelus vel ardens amor iustitiæ & indignatio aduersus turpitudinem. 14. vindicta licita. 15. cultura debita corporis, vel honorem debitum præstari corpori. 16. Benefacere inimicis & hostibus.

DE OPERIBVS SEXTI præcepti.

Opera sexti præcepti sunt. 1. castitas, quæ est triplex: Virginalis, coniugalis & vidualis. De his singulis hic dicatur, quæ sint species, quid sint, quæ forma, quæ causa, & qui fines. Et huc etiã pertinet disputatio de cœlibatu.

2. con-

2. coniugium, quod secundum omnes suas causas hic describendum erit. 3. obseruare gradus licitos. 4. colere affines & alios ratione coniugij nobis coniunctos. 5. nupriarum solennitas, forma & finis. 6. officium soceri, socrus, generi & nurus, de quibus singulis seorsim dicendum est. 7. officium mariti. 8. officium vxoris. 9. Puerperium, cum suis adiacentibus. 10. diuortium legitimum. 11. reconciliatio coniugum dissentientium. 12. Verecundia, seu pudor, in cogitationibus, verbis, gestibus & factis. 13. vestitus conueniens & decens. 14. temperantia & sobrietas. 15. ieiunium cum suis speciebus. 16. continentia.

DE OPERIBVS SEPTIMI PRÆCEPTI.

Opera septimi præcepti sunt. 1. Iusta possessio, & vsus rerum propriarum. Et hic dicatur an liceat tenere proprium. Item, de diuitijs in genere, quæ sint earum species, causæ, formæ & finis. 2. distinctio dominiorum. 3. iustitia commutatiua, seruans æqualitatem arithmeticam in contractibus & commutatione eorum. Et huc pertinēt loci de mutuatione, commodato, deposito, pignore, stipulatione, fideiussione, emptione, venditione, locatione, conductione, contractibus, societate,

tate, menſura, vlna, pondere, & ſimiles. De quibus ſingulis etiam ordine dicendum eſt. 4. gratitudo. 5. liberalitas. 6. hoſpitalitas. 7. Ius hoſpitij. 8. Parſimonia. 9. labor, cuius variæ ſunt ſpecies, quæ ſecundum ſubiecta vel inſtrumenta commodiſſimè diſtribuuntur in duas claſſes. Alius enim eſt labor internus, ad quem omnes ſcientiæ & artes liberales referantur. Alius externus opificum diuerſorum, qui ſinguli ſuos etiam locos peculiares requirunt. 10. merces vel præmium. 11. mercenarij. 12. αὐταρκεία, quæ contenta eſt præſentibus. 13. patientia placidè ferens famem & ſitim.

DE OPERIBVS OCTAVI PRÆCEPTI.

Opera octaui præcepti ſunt: 1. Veritas. 2. teſtimonia & commendationes in genere. 3. verum teſtimonium in iudicio. 4. teſtes quot, & quales adhiberi debeant. 5. laus. 6. defenſio honeſtæ famæ. 7. ſimplicitas. 8. candor. 9. conſtantia in verbis & promiſſis. 10. vota. 11. ſeruare vota. 12. moderatus vſus linguæ. 13. taciturnitas. 14. eloquentia. 15. comitas & affabilitas. 16. vrbanitas. 17. ioci vel ſales. 18. Apophthegmata, fabulæ, parabolæ, ſimilia &c. 19. mendacium officioſum. 20. bonum & ſalutare conſilium.

DE OPERIBVS NONI PRÆcepti.

Opera noni præcepti sunt. 1. Moderatio affectuum & repressio inordinatarum concupiscentiarum, vel mortificatio carnis. Et potest hîc inseri doctrina de discrimine affectuum. Sunt enim alij ordinati, alij verò inordinati. Item de appetitionibus hominis voluntarijs, sensitiuis, & naturalibus, vel de omnibus potentijs interioribus corporis humani.

2. Iuuare re & consilio proximũ, vt domum & alia sua bona facilius conseruare possit. Et dicatur hîc de domo proximi, quid sit, vel quid per eam intelligatur, non enim tantùm nudum ædificium, sed totam insuper proximi familiam, bonum nomen, & dignitatem eius, scriptura domum appellare solet. Præcipitur ergo hic 3. vt honorem proximi & totius eius familiæ tueamur. 4. concordia cum vicinis.

DE OPERIBVS X. PRÆCEPTI.

Opera 10. præcepti sunt. 1. continentia reprimens flammas concupiscentiarũ pugnantium cum hoc decimo & sexto præcepto. 2. Instare exhortationibus apud seruos & ancillas proximi, vt singuli officium suum diligenter faciant. Dicatur etiam hic, an & quatenus

operam

operam ſeruorum & ancillarum proximi conducere liceat.

3. Inſeruire commodis proximi, & rem eius familiarem tueri.

APPENDIX DE FORMATIONE locorum ſingulorum.

Hæc omnia præceptorum decalogi bona opera, non tantùm ordine enumeranda, ſed ſingula in locis communibus ſeorſim collocanda, & iuxta præcepta Methodi. Hæc Methodus concionandi nouiſſimè edita eſt Vitebergæ Anno 74. cum præfatione D. D. Georgij Maioris, ſic diſponenda ſunt.

1. Relinquatur ſpacium pro ſpeciebus ſingulorum operum vbi neceſſe eſt.

2. Ponatur antitheſis, quæ ex duorum extremorum declaratione petitur.

3. Sequatur conceſſio.

4. Confutatio.

5. Propoſitio. Et pro his ſingulis ad minimum vna integra facies folij relinquatur.

6. Sequatur confirmatio, quæ non vnam tantum faciem, ſed integrum folium requirit.

7. Relinquatur etiam ſpacium obiectioni, ſi qua occurrit.

8. Sequatur adhortatio conſtans ſuis ar-

gumentis, quorum ſingulis rurſus integrum folium tribuendum erit. Qui ergo vult locos communes tales ſibi comparare, quos deinceps mutare non neceſſe ſit, ſingulis virtutibus ad minimum decem vel duodecim folia papyri attribuat. Et tantum de ordine & diſpoſitione locorũ communium, in quos tranſferri poterunt omnia, de quibus vel in Eccleſia, vel communi vita ſermo incidit. Quod ſupereſt rurſus admonitos adoleſcentes volo, vt tempeſtiuè ſibi theſaurum locorum communium comparare incipiant, eosq; ſubinde ex lectionibus quotidianis augeant.

Nulla enim materia tam ieiuna eſt, quæ non vel ſententiam aliquam, vel inſignem hiſtoriam, vel Apologum, aut ſimile quid præbeat, & propterea ſuam in locis communibus ſedem habeat: Et qui iam non ſtatim, ſecundũ formam dictatam locos ſibi facere poſſunt, ſaltem mediocrem librum ſemper ad manum habeant, & ſub generales titulos notatu digna conſcribant, quæ poſtea ſuo tempore, maiore cum iudicio, in locos locupletiores transferre poterunt.

Filium Dei, Dominum noſtrum Ieſum Chriſtũ, toto pectore oro, vt hunc, & omnes alios labores noſtros iuuet, ſibi gratos, Eccleſiæ verò & nobis ſalutares efficiat, Amen.

FINIS.

TITVLI LOCORVM COMMVNIVM DICTATI IN SCHOla Curiensi.

A

D. LAVRENTIO CODOMANO TVM TEMPORIS IBIdem Rectore.

SAPIENTIA I.

Causæ efficientes sapientiæ 2.

Effectus sapientiæ 3.

Materia sapientiæ in qua, seu, qui sint sapientes 4.

Materia circa quam, seu obiecta sapientiæ sunt Theologia & Philosophia. 5.

Theologia quid sit. 6.

Vnde petenda est Theologia. 7.

Qui sunt veri Theologi. 8.

Quid efficiat verum Theologum. 9.

Materia, circa quam versatur, aut Res de quibus docet Theologia. 10.

An sit Deus. 11.

Quid sit Deus. 12.

Vnum esse Deum. 13.

Tres esse personas diuinitatis. 14.

Quid sit persona. 15.

Quid sit Deus pater. 16.

De filio, & Spiritu ſancto infrà agetur in ſecundo & tertio articulo Symboli.

Nomina Dei.17.

Qualis ſit Deus.18.

Sub hoc titulo nuda Epitheta ponantur, quæ poſtea cum ſuis teſtimonijs ad folium numeri aſſignandi referantur. Idem de ſimilibus locis eſto iudicium.

Beneficia præcipua quibus Deus affecit genus humanum, ſunt: Creatio, redemptio & ſanctificatio. Sequentes igitur locos iuxta illa diſtribuere libet.

DE CREATIONE. 19.20.

De creaturis, & Angelis inter creaturas referendis. 21.

Creaturas à Deo conſeruari. 22.

Creaturas à Deo factas eſſe bonas. 23.

Hìc opus eſt diſtinctis locis, ad bonum ſuaue. 24.

Vtile. 25.

Et honeſtum. 26.

Angelus quid ſignificat, & quotuplices Angeli. 27.

Quid eſt Angelus bonus. 28.

Nomina bonorum Angelorum. 29.

Quod boni Angeli. 30.

Quæ forma bonorum Angelorum. 31.

Officia bonorum Angelorum. 32.

Bono-

Bonorum Angelorũ effectus immediati.33
Effectus bonorum Angelorũ mediati.34.
Sancti Angeli, quorum conuersatione delectentur.35.
Pugnantia cum bonis Angelis.36.
Quid est diabolus.37.
Quàm varia nomina diabolorum.38.
Quot diaboli.39.
Quales sint diaboli.40.
Quæ forma.41.
Quæ causa efficiens essentiæ & malitiæ diabolorum.42.
Qui effectus.43.
Diabolorum pœnæ.44.
Quid est homo.45.
Quæ species vel sexus hominis.46.
Corpus hominis.47.
Anima hominis.48.
Imago Dei, ad quã homo conditus est.49.
Quo fine creatus est homo.50.
Fœmina.51.
Hominis actiones antę lapsum.52.
De lapsu primorum parentum.53.
Quid & quotuplex est peccatum.54.
De peccato originali eiusq; effectu.55.
Quaten⁹ liberi puniãtur ꝓpter parẽtes.56.
De peccato actuali.57.
De mortali peccato.58.
De peccato irremissibili, seu blasphemia in Spiritum S.60.

Species peccati apparebunt infra ex titulis transgressionum Decalogi.

Deus non est causa peccati, seu Deus nec efficit nec probat peccatum. 61.

Causa efficiens peccati. 62.

Effectus actualis peccati. 63.

Viribus post lapsum residuis, homo non potest liberari ab ira Dei & æterna damnatione. 64.

Promisit ergò Deus liberationem generi humano. Huc pertinent omnes promissiones de Messia. 65.

Promissum redemptorem esse filium seu Messiam Dei, probatur potissimum ex veteri testamento. 66.

Cætera testimonia veteris testamenti de diuina redemptoris natura. 67.

Redemptorem vel Messiam fore hominem, testimonia veteris testamenti. 68.

Vt autem appareat, quòd Dominus noster Iesus Christ⁹ sit ille promissus Messias, oportet ostendi primùm, quòd ipse sit filius Dei, & verus Deus: Deinde, quòd sit verus homo natus, existentibus illis ipsis circumstantijs, quæ in prophetis prædictæ sunt. Item quid fecerit ad nos redimendos & liberandos. Ad hæc ostendenda, nobis verba ex secundo symboli articulo titulos suppeditabunt.

De nomine Iesu. 69.

De

De nomine Christo, seu Messia. 70.

An Deus pater habeat filium. 71.

Iesum Christum esse filium Dei vnigenitum. 72.

Quid est filius Dei. 73.

Cætera filij Dei epitheta. 74.

Quare filius Dei dicitur λόγος. 75.

λόγον ante assumptam humanam naturam fuisse patri coæternum. 76.

Cætera testimonia diuinæ naturæ IESV Christi. 77.

Iesum Christum esse Dominum nostrũ. 78

Iesus Christus conceptus ex Spiritu sancto. Huc pertinet doctrina de incarnatione. 79.

λόγον etiam assumta humana natura esse tantùm vnicam personam. 80.

Quare oportuit in CHRISTO mediatore duas naturas, humanam & diuinam vnitas esse. 81.

Communicatio idiomatum, est effectus incarnationis vel vnionis personalis duarum naturarum in Christo. 82.

Testimonia scripturæ de proprietatibus diuinæ naturæ, communicatis humanæ naturæ in Christo. 83.

Testimonia scripturæ de proprietatibus humanæ naturæ, communicatis diuinæ naturæ in Christo. 84.

Communicatio idiomatũ diuinæ naturæ in Christo, an sit realis, an tantùm verbalis. 85.

De diuinitate Iesu Christi. 86.

De tempore & loco Natiuitatis Iesu Christi. 87.

De virgine Maria, seu de virginitate Mariæ. 88.

Innocentia Iesu Christi, quæ comitatur illam ineffabilem conceptionem & Natiuitatem. 89.

Passio Iesu Christi. 90.

Tempus passionis Iesu Christi. 91.

Crucifixio. 92.

Mors Christi. 93.

Sepultura Christi. 94.

Descensus Christi ad inferna. 95.

De resurrectione Christi à mortuis. 96.

Ascensio Christi ad cœlos. 97.

Sessio Christi ad dextram Dei patris. 98.

Regnum Christi. 99.

Aduentus Christi quotuplex. 100.

De aduentu Christi ad iudicandum viuos & mortuos. 101.

Iudicij nouissimi circumstantiæ. 102.

De nouissimo die. 103.

Beneficia filij Dei, quæ in præcedentibus locis articuli de redemptione comprehenduntur, nobis applicare non possumus, nisi à Spiritu sancto regeneremur.

Dein-

Deinceps igitur de Spiritu sancto, & cæteris in tertio articulo symboli comprehensis, agendum est.

Variæ significationes spiritus. 103.

Quid est Spiritus sanctus. 104.

Quòd Spiritus sanctus sit persona, à patre & filio distincta. 105.

Quomodo se manifestauerit Spiritꝰ S. 106

Spiritum sanctum æqualis gloriæ esse cum patre & filio. 107.

Spiritus sancti officia. 108.

Quandoquidem verbum Dei & sacramẽta sunt organa, per quæ Spiritus sanctus nos sanctificat, seu efficit in nobis veram conuersionem ad Deum, agendum nunc erit de verbo Dei, postea de sacramentis, tandem de conuersione seu pœnitentia, qua fiunt homines sancta Ecclesia.

Quid est verbum Dei, & quot habet partes. 109.

Quid est lex Dei, & quot sunt partes legis diuinæ. 110.

De legibus ceremonialibus, & earum abrogatione. 111.

De legibus forensibus, & earum abrogatione. 112.

Decem præcepta, & eorum diuisiones, ac summa. 113.

De comminatione & maledictione legis moralis. 114.

De

De promiſſionibus legalibus. 115.
Cauſa efficiens legis. 116.
De vſu legis pædagogico, ſeu politico. 117.
De vſu ſpirituali in non renatis. 118.
De vſu tertio legis in renatis. 119.
De lege naturæ, & alijs cognatis legi morali. 120.
Conſcientia. 121.
Diſcrimen inter legem Dei, ſeu legem naturæ, & leges humanas. 122.
Pugnantia cum lege morali. 123.
An pugnet Euangelium cum lege. 124.
Quot modis impleat Chriſtus legem 125.
Quatenus abrogata eſt lex moralis credentibus in Chriſtum. 126.
Definitio Euangelij. 127.
Item, Euangelium etiam ante natiuitatem Chriſti fuiſſe. 128.
Diſcrimen legis & Euangelij. 129.
Materia, circa quam verſatur Euangelium, vel Euangelium quibus annunciandum. 130.
Cauſa efficiens Euangelij, & quibus cauſis impulſiuis motus eſt Deus, ad promulgandum Euangelium. 131.
Cauſæ inſtrumentales, per quas Deus annunciat Euangelium 132.
Effectus ſeu fructus Euangelij. 133.
Abuſus Euangelij. 134.
De ſpiritu & litera. 135.

Euan-

Euangelium vbi locorum, quando & quam diu. 136.
Quos aduersarios habeat Euangelium, & quomodo oppugnetur. 137.
Quæ sunt cognata Euangelio. 138.
Quid est sacramentum. 139.
Quot sunt Sacramenta. 140.
De circumcisione. 141.
Qui fuerunt circumcidendi. 142.
De Circumcisione Christi. 143.
Causa finalis, & vtilitas circũcisionis. 144.
Pugnantia cum circumcisione. 145.
De abrogatione circumcisionis. 146.
Cognata circumcisioni. 147.
Baptismi Etymologia, & baptismata veteris testamenti. 148.
Baptismus noui testamenti quid est, & quę sunt eius partes substantiales. 149. 150.
Differentia inter baptismum Iohannis & Christi. 151.
Author baptismi. 152.
Quibus liceat baptisare. 153.
Qui sunt baptisandi. 154.
De baptismo infantium. 155.
Forma seu ritus baptismi. 156.
De exorcismo. 157.
De testibus, quos vocant compatres. 158.
Fines seu effectus baptismi. 159.
Regeneratio. 160.

Qua-

Quaten⁹ tollitur peccatū in baptiſmo. 161.
Pugnantia cum baptiſmo. 162.
Anabaptiſtarum opinion. de baptiſmo. 163
Baptiſmus an ſit iterandus. 164.
Vbi baptiſandum. 165.
Quando baptiſandum. 166.
Cœnæ dominicæ appellationes, & earum Etymologia. 167.
Definitio cœnæ dominicæ. 168.
Quæ partes ſubſtantiales cœnæ dominicæ. 169.
Forma ſeu ritus cœnæ. 170.
Quæ cauſa efficiens cœnæ, & quibus licet cœnam adminiſtrare. 171.
Qui ſunt admittendi ad cœnam, vel qui ſint participes cœnæ. 172.
Fines & effectus ſeu fructus cœnæ dominicæ. 173.
De manducatione indignorum. 174.
Miſſa & reliqui errores Papiſtarum de cœna. 175.
Sacramentarij ſeu dipnoſophiſtæ negantes præſentiam corporis & ſanguinis Domini in cœna. 176.
De diſcrimine veter. & noui teſtaméti. 177

Poſitis organis, per quæ Spiritus ſanctus operatur pœnitentiam, nunc agendum erit de pœnitentia.

De nomine pœnitentiæ. 178.

Quid

Quid eſt pœnitentia, & quot ſunt partes pœnitentiæ. 179.

Contritionis definitio, & materia in qua 180.

An mens & voluntas hominis agat aliquid in homine. 181.

Cauſa efficiens contritionis. 182.

Cauſa inſtrumentalis contritionis. 183.

Contritionis obiecta, ſeu materia circa quam, ſeu quorum illa nos pœniteat. 184.

Cauſa finalis & effectus contritionis. 185.

Pugnantia cum contritione. 186.

Cognata contritioni. 187.

Fidei variæ ſignificationes. 188. &

Fidem ſignificare fiduciam. 189.

Fidei definitio, & materia in qua. 190.

An hominis mens agat aliquid in concipienda fide. 191.

Cauſa efficiens fidei. 192.

Cauſa inſtrumentalis fidei. 193.

Qui ſint capaces fidei, vel non. 194.

Fidæi materia circa quam, ſeu quæ ſint apprehendenda fide, ſeu obiecta fidei. 195.

Pugnantia cum fide. 196.

Hiſtorica fides. 197.

Cognata fidei. 198.

Fines, fructus fidei, ad credentem, ad Deum redeuntes 198. quoque.

Fides aliena, quid proſit proximo. 199.

Quoniam

Quoniam gratia Dei & iuſtitia ponitur inter fructus fidei, agendum eſt etiam de illis.

Gratia Dei generalis. 200.

Gratia Dei ſpecialis. 201.

Iuſtitiæ nomen, & varia ſignificata. 202.

Quid eſt iuſtitia Chriſtiana, ſeu iuſtificatio hominis coram Deo. 203.

Cauſæ efficientes iuſtificationis. 204.

Sola fide iuſtificamur gratis. 205.

Materia in qua, ſeu qui iuſti reputãtur. 206

Pugnantia cum iuſtitia imputata. 207.

Fructus iuſtitiæ imputatæ. 208.

De iuſtitia inchoata ſeu noua obedientia, ſeu de bonis operibus.

Quid eſt bonum opus. 209.

Bonorum operum materia in qua. 210.

An hominis mens & voluntas aliquid agat, in bonis operibus. 211.

Quæ ſint cauſæ efficientes bonorum operum. 212.

Quæ ſint cauſæ impulſiuæ bonorum operum. 213.

Materia circa quam, ſeu obiecta bonorum operum. 214.

Fines & effectus bonorum operum. 215.

Dicta quæ ſalutem aſcribunt bonis operibus non tanquam meritoriæ cauſæ, ſed tanquam fructibus oſtendentibus ſalutem adeſſe propter Chriſtum fide apprehenſum, qui

ſuo

ſuo λύτρῳ acquiſiuit credentibus ſalutem æternam. 217. 218. 219. 220.

Nouam obedientiam, ſeu bona opera non mereri ſalutem. 221. 222.

An perfecta ſint renatorum bona opera, in hac vita. 223.

Quomodo placeant Deo bona opera. 224.

Pugnantia cum bonis operibus. 225.

Diſciplina bonis operibus cognata, quid eſt. 226.

Diſciplina, propter quas cauſas eſt neceſſaria. 227.

Diſciplina etiam non renatorum Deo placet. 228.

Adhortatio generalis ad nouam obedientiam. 229.

Partes nouæ obedientiæ ſunt omnia bona opera, congruentia Decalogo.

Bonorum autem operum tituli, ſuas ſedes infra habebunt.

Poſtquam egimus de pœnitentiæ partibus, quas Spiritus ſanctus in nobis operatur, vt ſancti ſimus, iam etiam oſtendendum eſt, qui dicantur ſancti.

SANCTVS, quàm varia ſignificata habeat. 230.

Qui homines dicuntur ſancti. 231.

Quid eſt Eccleſia. 231.

Cauſæ efficientes Eccleſiæ. 232.

Semper aliquam Dei Ecclesiam esse in hoc mundo. 233.

Quo fine colligitur Ecclesia. 234.

Studia & effectus Ecclesiæ. 235.

Aduersarii Ecclesiæ. 236.

Forma Ecclesiæ in hoc mundo. 237.

Quæ sint species Ecclesiæ in hoc mũdo. 238

Sedes Ecclesiæ. 239.

Ecclesiæ partes, seu materia ex qua, seu Catholicam esse Ecclesiam Dei. Huc pertinent vniuersales gratiæ diuinæ promissiones 240. 241. 242.

Prædestinationis, Electionis & protheseos diuinæ Testimonia, quæ videntur negare, quod Ecclesia sit Catholica 243. 244.

Catholicæ & vniuersali gratiæ Dei, non aduersari diuinam prædestinationem, electionem & prothesin, probatur ex earum definitionibus, & sacra scriptura 245. 246. 247. 248.

De communione Sanctorum. 249.

Libertas Christiana. 250.

Adiaphora. 251.

De diuersitate donorum, non impediente concionem. 252.

Apostoli. 253.

Prophetæ, & prophetia. 254.

Diuinationes. 255.

Euangelistæ. 256.

Pasto-

Pastores.257.
Doctores. 258.
Sermo sapientiæ. 260.
Dona sanationum.261.
Potestas clauium. 262.
Subsidia.263.
Gubernationes. 264.
Discretiones spirituum. 265.
An sancti sint absq; peccato in hoc mundo & qualia sint peccata sanctorum. 266.
An sancti possint amittere gratiam Dei, ac fieri prophani. 267.
De Conuersione & Remissione peccatorum, & de recipiendis in gratiam lapsis, seu de potestate clauium absoluente. 268.
Linguarum genera.269.
Linguarũ interpretatio, de his vide infrà.
Nunc sequitur de resurrectione carnis, vbi ante omnia sciendum, quàm varia sint carnis significata.
Caro quid significat. 270.
An sit resurrectio carnis futura.271.
Quid est resurrectio carnis.272.
Quotuplex resurrectio carnis.273.
Subiectum Resurrectionis, seu qui resurgent. 274.
Resurgentium forma. 275.
Causa efficiens Resurrectionis. 276.
Finis resurrectionis. 277.

Tempus resurrectionis. 278.
Cognata resurrectioni. 279.
Opiniones pugnantes cum articulo de resurrectione mortuorum. 280.
Restat articulus de vita æterna.
Hic ante omnia videndum est, quid & quotuplex sit vita hominis.
Quid & quotuplex est vita hominis. 281.
Ætates hominum. 282.
Pueritia. 283.
Adolescentia. 284.
Viri & virilis ætas. 285.
Senectus. 286.
Viuaces, longæui. 287.
Breuitas vitæ temporalis. 288.
Incertitudo vitæ humanæ. 289.
Miseria vitæ temporalis. 290.
Autor vitæ humanæ. 291.
Conseruator vitæ humanæ. 292.
Quare huius vitæ prorogatio sit petenda. 293.
Quo fine hîc viuamus. 294.

DE VITA ÆTERNA.

An sit futura vita æterna. 295.
Quid est vita æterna. 296.
Causa efficiens vitæ æternæ. 297.
Beatitudo, fines, & commoda vitæ æternæ 298.

Discri-

Discrimina gloriæ beatorum. 299.
Cognata vitæ æternæ: status piarum animarum ante resurrectionem. Item primitiæ vitæ æternæ, quas hic habemus. 300.
Vbi degemus in vita æterna, aut quæ beatorum sedes. 301.
Æternum quid. 302.
Pugnantia cum vita æterna. 303.
Mors æterna. 304.
Qui ferent mortem æternam. 305.
Pœnarum æternarum discrimina. 306.
Cognata morti æternæ. 307.
De purgatorio. 308.
De inferno. 309.

Ex præcedentibus locis nonnulli sub se continebant alios titulos, quorum singuli peculiarem tractationem requirunt. Illos huc vsq; differendos esse censui, vt sine superiorum titulorum commoda distinctione suam quisque sedem satis amplam obtineret. Oriuntur autem potissimum ex quæstionibus, Qualis sit Deus. Quæ sint species bonorum operum & peccatorum. Item, qui sint effectus seu pœnæ peccatorum. Vnde postea sumitur occasio agendi de cruce & consolationibus in rebus aduersis.

QVALIS SIT DEVS.

Deum esse spiritualem essentiam. 310.

Deum esse intelligentem & καρδιογνώστην. 311
Deus nouit omnia, non solum præterita & præsentia, sed etiam futura. 312.
Deus est immensæ sapientiæ. 313.
Prouidentia Dei. 314.
Deus æternus. 315.
Deus verax. 316.
Deus bonus & beneficus. 317.
Beneficia Dei. 319.
Auxiliator, opitulator,, adiutor. 320.
Deus purus & castus. 321.
Deus Misericors. 322.
Deus liberrimus. 323.
Deus omnipotens. 324.
Deus vbiq; existens. 325.
Deus Rex. 326.
Regnum Dei. 327.
Deus longanimis. 328.
Promissio diuina. 329.
Deus zelotes irascens peccatis. 330.
DEVS IVSTVS. 331.
Deum esse iustum, vel ex Decalogo appareret, cuius bona opera iam sequuntur.
OPERA PRIMI PRÆCEPTI.
Vera agnitio Dei. 333.
Notitia Dei philosophica Christianæ cognatæ. 334.
Discrimen inter notitiam Dei philosophicam & Christianam. 335.

Discri-

Discrimen inter notitiam Dei, quæ nobis in hac vita conceditur, & inter alteram in futura vita. 336.

FIDES. 337.

An fides, quæ nititur promissione Euangelica, sit operib' Decalogi annumerãda. 338.

Dilectio Dei, interdum vsurpatur pro dilectione, quâ nos Deus complectitur. 339.

Dilectio Dei, quâ nos Deum amare debemus. 340.

SPES. 341.

Differentia spei & fidei. 342.

TIMOR DEI. 343.

Timor Dei filialis. 344.

Timor Dei seruilis. 345.

Religio. 346.

HVMILITAS. 347.

PATIENTIA non irascens Deo in ærumnis. 348.

PERSEVERANTIA. 349.

Idolorum destructio. 350.

OPERA II. PRÆCEPTI. 351.

Sanctificatio nominis diuini. 352.

Vera inuocatio. 353.

Veræ & falsæ inuocationis differentia. 354.

Quis sit inuocandus. 356.

Inuocationis materia in qua, seu qui possint inuocare. 357.

Causa efficiens inuocationis. 358.

Quæ res à Deo petendæ sunt. 359.
Quomodo petenda sint bona temporalia. 360.
Quomodo bona æterna petenda sint. 361.
Cuius merito debet inuocatio niti. 362.
Formulæ inuocationum, in sacris literis vbi reperiantur. 363.
Quo fine inuocandus est Deus. 364.
Effectus inuocationis, & precum exauditarum exempla. Interdum Deus non dat, quę petimus. 365.
Interdum dat quidem, sed tam diu differt opem, vt videantur preces non esse exauditæ. 366.
Quando sit orandum. 367.
Vbi sit orandum. 368.
Quis gestus inuocantium. 369.
Adhortatio ad inuocationem. 370.
Gratiarum actio. 371.
Adhortatio ad gratiarum actionem, seu gratias agendum esse Deo. 372.
Vera prædicatio nominis diuini. 373.
Confessio. 374.
OPERA III. PRÆCEPTI. 375.
Sanctificatio Sabbathi. 376.
Sabbathum quid sit. 377.
Dies festi. 378.
Ministerium Euangelij. 379.
Ordinare ministros Ecclesiæ. 380.

Impoſitio manuum. 381.
Sacerdos. 382.
Summus ſacerdos. 383.
Gradus miniſtrorum Euangelij. 384.
Vocare idoneos miniſtros. 385.
Parere vocationi. 386.
Petere vocationem. 387.
Sacrificia. 388.
Ceremoniæ, vel ritus Eccleſiaſtici. 389.
Cultus diuinus, quibus in locis fiebat in veteri teſtamento. 390.
Templa. 391.
Synagogæ. 392.
Præceptorum officia. 393.
Docendi ratio. 394.
Examina. 395.
Diſcipulorum officia. 396.
Optima diſcendi ratio. 397.
Vita ſcholaſtica. 398.
Tam ad primæ quam ad ſecundæ tabulæ opera, præſertim externa, pertinet iuſtitia vniuerſalis. 399.
Innocentia. 400.
Bonum exemplum. 401.
Imitatio boni exempli. 402.
Sodalitium bonum, conuerſatio cum bonis. 403.
Modus, moderatio, mediocritas. 404.
Gloriæ, ſeu bonæ famæ ſtudium. 405.

SVMMA SECVNDÆ TABVLÆ

Dilectio proximi. Ad quartũ præceptum pertinet

Charitas.406.

Magistratus. 407.

Subditi. 408.

Parentes. 409.

Socer & socrus. 410.

Liberi. 411.

Gener. 412.

Nurus.413.

φιλοστοργία, seu στοργή, seu pietas parentum erga liberos. 414.

Educatio liberorum.415.

Pietas liberorum erga parentes. 416.

Fratres & sorores. 417.

φιλαδελφία 418.

Tutores.419

Pupilli. 420.

Grauitas. 421.

Honor. 422.

Veneratio, Reuerentia. 423.

Modestia, ciuilitas.424.

Obedientia. 425.

Gratitudo. 426.

OPERA V. PRÆCEPTI.

Iustitia particularis. 427.

Mansuetudo, placiditas. 428.

Longanimitas.429.

Patientia iniuriarum proximi. 430.

Misericordia. 431.

ἐπείκεια, clementia. 432.

Placabilitas, condonatio peccatorũ, ignoscere, venia, reconciliatio, facta gratia. 433.

Concordia, studium concordiæ, seu φιλησυχία, quietis studium. 434.

Amicitia. 435.

Amici in rebus aduersis constantes. Huc pertinet vadimonium. 436.

Fidelitas. 437.

Fauor. 438.

Facilitas. 439.

Humanitas, ἤθικὸν esse, morum suauitas. 440.

Consolari. 441.

Honorem præstare corpori. 442.

Hostis. 443.

Zelus. 444.

Nemesis. 445.

Fortitudo togata, magnanimitas. 446.

Defensio. 447.

OPERA VI. PRAECEPTI.

Verecundia, seu pudor. 448.

Temperantia, seu sobrietas. 449.

Ieiunium. 450.

Continentia. 451.

Castitas seu pudicitia. 452.

Virgi-

Virginitas. 453.
Cœlibatus. 454.
Matrimonium, coniugium. 455.
Nuptiarum ritus. 456.
Lætitia, gaudium. 457.
Legitimæ nuptiæ per cognationis & affinitatis gradus. 458.
Officium mariti. 459.
Officium vxoris. 460.
Puerperium. 461.
Diuortium legitimum. 462.
Viduitas. 463.
Amictus, seu vestes pertinent ad pudicitiam. 464.

OPERA VII. PRÆCEPTI.

Iusta possessio, & bonus vsus rerum propriarum. 465.
Distinctio dominiorum. 466.
Hæreditas, legata. 467.
Æquitas. 468.
Iusta mensura. 469.
Pondera. 470.
Iustitia commutatiua. 471.
Contractus. 472.
Mercatura. 473.
Emptio. 474.
Venditio. 475.
Locatio. 476.

Conductio.477.
Depositum.478.
Reperta reddere possessori.479.
Beneficentia, seu liberalitas.480.
Petere beneficia.481.
Eleemosynæ.482.
Frugalitas, parsimonia.483.
Commodare & mutuò dare.484.
Præs, spondens pro alijs.485.
Pignus.486.
Reddere debitum.487.
Hospitalitas.488.
Ius hospitij.489.
Διδαχτεον.490.
Merces.491.
Præmium.492.
Sedulitas, diligentia, assiduitas.493.
Labor.494.
Mercenariorum officia.495.
Exercitatio.496.
Meditatio.497.
Industria.498.
Celeritas.499.
Occasio seu opportunitas, sine cuius obseruatione labores non sunt felices.500.
Ordo in rebus agendis.501.

OPERA VIII. PRÆCEPTI.

Veracitas, seu veritas.502.

Ad

Ad hanc opus est prudentia. 503.
Iusiurandum, iuramentum. 504.
Testes vel Testimonia. 505.
Testamenta. 506.
Commendatio. 507.
Fama. 508.
Laus. 509.
Simplicitas. 510.
Candor. 511.
Docilitas. 512. sich gern lehren lassen.
Constantia. 513.
Stare promissis, fides. 514.
Vota seruare. 515.
Consilia bona. 516.
Correctio fraterna. 517.
Parrhisia. 518.
Taciturnitas, silentium, & moderatus linguæ vsus. 519.
Comitas, seu affabilitas. 520.
Vrbanitas, ioci, sales. 521.
Fabulæ. 522.
Mendacium officiosum. 523.

AD IX. ET X. PRAECEPTVM pertinet.

Domus. 524.
Patria. 525.
Vicinorum bonitas. 526.
Αυτάρκεια, sufficientia, continentia. 527.

Affe-

Affectuum moderatio. 528.
Mortificatio carnis. 529.
Optare. 530.
Seruitus. 531.
Serui & ancillæ. 532.
Libertas. 533.
Dominus, herus. 534.
Domina, hera. 535.
Res familiaris. 536.
Opes, abundantia, diuitiæ. 537.

Postquam bona opera, quæ requiruntur in Decalogo sunt enumarata, restat vt ponamus titulos vitiorum, quæ cũ Decalogo pugnant.

CONTRA I. PRAECEPTVM.

Ignoratio Dei & voluntatis diuinæ. 538.
Dubitatio de Deo, de prouidentia, & de voluntate Dei, patefacta in Euangelio. 539.
Securitas ac Epicuræus ac Cyclopicus contemptus Dei. 540.
Fiducia humanorum præsidiorum. 541.
Confidentia, seu præsumptio. 542.
Auxilio Dei quantopere sit opus. 543.
Superbia. 544.
Diffidentia erga Deum. 545.
Desperatio non tribuens Deo laudem veritatis, & misericordiæ. 546.
Odium Dei, vel odisse Deum. 547.
Impatientia, irascens Deo in ærũnis. 548.

Impia pertinacia hominum fanaticorum in ſupplicijs, quæ perferunt propter ſeditionem aut errores palàm blaſphemos. 549.

Idolatria contra primam tabulam. 550.

Religiones ab hominibus excogitatæ. 551.

Magia & incantationes contra 1. & 2. præceptum. 552.

Diuinationes impiæ, rerum præteritarum 553.

Prædictiones à Deo prohibitæ. 554.

Superſtitio. 555.

Oracula. 556.

Auguria. 557.

CONTRA II. PRÆCEPTVM.

Blaſphemia, Gottsleſterung. 558.

Hæreſes, ſeu corruptelæ doctrinæ cœleſtis, item ſchiſmata, ſectæ. 559.

Negligentia in docendo. 560.

Curioſitas in tractandis inutilibus, aut non neceſſarijs materijs. 561.

Abuſus nominis diuini, ad imprecationes, & iuramenta non neceſſaria. 562.

Sophiſticæ & calumnioſæ interpretationes iuramentorum. 563.

Impia iuramenta. 564.

Periurium. 565.

Inuocationis omiſſio. 566.

Inuocatio Ethnica, Turcica, Idolatrica, Iudaica. 567.

Item

Item inuocatio hominum mortuorũ. 568.

Ingratitudo, seu intermissio gratiarum actionis, pro beneficijs diuinis. 569.

Simulata aut hypocritica gratitudo, qualis erat Pharisæi Luc. 18. 570.

ἀποστασία, seu defectio abnegantium confessionem metu, seu odio. 571.

Prætexere nomen Dei, religionis & Euangelij iniustis cupiditatibus, ambitioni, auaritiæ, libidinibus, odijs. 572.

CONTRA III. PRÆCEPTVM.

Festa impia, seu Ethnica. 573.

Prophanatio Sabbathi, quæ fit à sacerdotibus malè docendo, sacramenta administrando, viuendo. 574.

Non vocare idoneos ministros. 575.

Non parere vocationi legitimæ. 576.

Prophanatio Sabbathi, quæ fit choro, seu à scholasticis. 577.

Prophanatio Sabbathi, quæ fit ab auditoribus negligentibus auscultationẽ, confessionemque verbi, & vsum sacramentorum, & agentibus ea, quæ vel publica, vel domestica, priuataque pietatis exercitia impediunt. 578.

Superstitiosa Sabbathi obseruatio. 579.

Ceremonias tollere. 580.

Ornatum sacerdotalem penitus tollere. 581.

Iconomachia, seu destructio imaginum, quarum vsus potest esse pius. 582.
Imagines, an sint tolerandæ. 583.
Non iuuare studia ecclesiæ. 584.
Præceptorum vitia. 585.
Discipulorum vitia. 586.
Ruditas. 587.

CONTRA VTRANQVÆ TABVlam Decalogi.

Simulatio. 588.
Defectus. 589.
Nimium, seu excessus. 590.
Iniusticia. 591.
Impœnitentia. 592.
Mundi mores. 593.
Vitium, turpitudo. 594.
Scandalum datum, vel malum exemplum, quod consistit vel in sermone, vel in gestu. 595
Sodalitia praua. 596.
Imitatio mali exempli. 597.
Leuitas non curans famam aut gloriam. 598.

CONTRA IIII. PRÆCEPTVM.

Parentum vitia. 599.
Liberorum vitia. 600.
Magistratus vitia. 601.

Subditorum vitia. 602.
Licentia. 603.
Senum vitia. 604.
Iuuentutis vitia. 605.
Ἀσωτία. 606.
Contemptus superiorum. 607.
Inobedientia. 608.
Immodestia, in ciuilitas. 609.
Ingratitudo erga homines, præsertim autem erga parentes. 610.
Vngezogene Kinder sind den Eltern keine Ehre.)
Ambitio. 611.
Πολυπραγμοσύνη, seu curiositas se ingerens aliorum officiis. 612.
Nolle obligatum esse officio. 613.
Prosopolepsia. 614.

CONTRA V. PRÆCEPTVM.

Insolentia. 615.
Impatientia irascés proximo lædenti. 616.
Iracundia. 617.
Ira. 618.
Furor. 619.
Feritas. 620.
Odium proximi, Maleuolentia. 621.
Malitia, Malignitas. 622.
Cupiditas vindictæ, vltio. 623.
Ἐπιχαιρεκακία, gaudere aliorum incommodis, insultare afflictis, deridere. 624.

Leuitas, negligens etiam veras & atroces iniurias. 625.

φιλονίκεια seu contentiosítas, rixa, ἔρις, discordia. 626.

Indulgentia, lenitas nullos habens excitatos motus, non irascens turpitudini & sceleribus. 627.

Imprecari alijs morbos, aut interitum. 628.

Iniuria, prouocans iram alterius. 629.

Vexatio. 630.

Inimicitia. 631.

Amici in rebus aduersis inconstantes. 632.

Violentia vel Crudelitas { manifesta. 633. / summi iuris prætextum habens seu νόμου iuris. 634.

Immisericordia. 635.

Homicidium, seu cædes voluntaria. 636.

Abortus. 637.

Latrocinium. 638.

Iniusta, & non necessaria bella. 639.

Bellum intestinum. 640.

Proditio. 641.

Armis vel manu alterius corpus lædere ἐκ προαιρέσεως seu dedita opera. 642.

Fortuita, nec voluntaria cædes, seu læsio corporis alterius. 643.

Corruptos cibos aut potus vendere aut proponere. 644.

Veneficio seu veneno necare. 645.

Insti-

Instigare alios ad nocendum vitæ proximi. 646.

Insidias vitæ alterius struere. 647.

Ædificia & alias structuras non rectè munire. 648.

Morositas, nullam suauitatis aut beneuolentiæ significationem erga alios ostendere, Sauerzapff/ μισανθρωπία. 649.

Desertio, cùm posses tamē non velle opem ferre periclitanti, ex maleuolentia, timiditate, auaritia, negligentia. 650.

Sibiipsi manum inferre. 651.

Valetudinem lædere intemperantia, & libidinibus. 652.

Suam ipsius valetudinem lædere, subtrahendo corporibus necessarium victum, amictum, habitationem, ex superstitione, aut auaritia. 653.

Valetudinem lędere intempestiuis immodicisue laboribus & vigilijs, non vrgente necessitate ineuitabili. 654.

Audacia, temeritas. 655.

Necessitate non vrgente versari in locis aut negotijs, quæ vel proprio, vel aliorum iudicio noui sti esse periculosa 656.

Pusillanimitas, timiditas in sui defensione licita. 657.

CONTRA VI. PRÆCEPT.

Vituperationes & prohibitiones coniugii, & sexus muliebris. 658.

Monastica vita, simulata castitas. 659.

Vagæ libidines, & scortationes extra coniugium. 660.

Meretrix. 661.

Adulteria. 662.

Diuortia illegitima. 663.

Raptus. 664.

Stupra. 665.

Incesti concubitus, & incestæ nuptiæ. 666.

Seminis extra coniugium effusiones. 667.

Incontinentia. 668.

Stupor, ἀνοωτία, hoc est, nimia & vitiosa verecundia, Agrestitudo. 669.

Impudentia. 670.

Incendia libidinum, quæ fiunt verbis obscænis, aspectu, gestibus, vestibus, amplexibus, osculis, contrectationibus impudicis; Item Choreis. 671.

Conuiuari. 672.

Voluptas { licita. 673. / illicita. 674.

Ebrietas. 675.

Edacitas, voracitas. 676.

Intemperantia. 677.

Crapula, indulgere genio, helluatio. 678.

Luxuria,

Luxuria, luxus. 679.
Leuitas in ſpondendo & deſpondendo matrimonio. 680.
Conuerſatio cum impudicis. 681.
Conuentus in abditis & ſuſpectis locis. 682.
Philtra. 683.
Spargere ſemina diſſidiorum inter coniuges. 684.
Riualitas. 685.
Zelothypia. 686.
Facere aduerſa & ſuſpecta coniugi, ſine piis & honeſtis cauſſis. 687.
Sordes, ſeu neglectus mundiciei. 688.
Lenocinium formæ. 689.
Procacitas, laſciuia. 690.
Petulantia. 691.

CONTRA VII. PRAECEPT.

Bona Eccleſiaſtica transferre in vſus politicos, vel priuatos. 692.
Anabaptiſtica rerum communio. 693.
Omnis πλεονεξία, & fraudes in contractibus. 694.
Nolle mutuum dare. 695.
Non reddere debitum. 696.
Repetundæ. 697.
Vſuræ fænus, Kornhandel/Getreidwucher. 698.

Rapinæ.699.

Iniquitas. 700.

Iniusti contractus. 701.

Mercatorum vitia.702.

Illiberalitas, beneficentiæ contraria.703.

Furta priuata.704.

Consumere escas vel potus repositos furtim.705.

Mercenariorum vitia, seu iniustæ mercedes.206.

Et stipendia, quæ deuorantur ab ignauis, cùm interea fideliter seruientes ferè contabescant fame.706.

Histrionica ars.707.

Mendicitas non necessaria.708.

Omnia lucra iniusta, sub quibus etiam ludendo parta comprehenduntur.709.

Impedire labores aliorum.710.

Damnum dare. 711.

Æs alienum vel debitum. 712.

Profusiones immodicæ, seu prodigalitas non seruans modum in beneficentia, largitiones.713.

Tenacitas, auaritia.714.

Inhospitalitas. 715.

Emacitas. 716.

Magnificæ profusiones in pompas inanes, vestes splendidas, luxum, ambitiosas ædificationes, conuiuia monstrosa. 717.

Iner-

Inertia, pigritia, negligentia & ignauia, in rebus proprijs custodiendis, & laboribus tempestiuis susciendis: amittere custodienda. 718.

Huc pertinent peccata ignorantiæ. 719.

Somnus immodicus. 720.

Otium, ludicra. 721.

Cunctatio, vel tarditas. 722.

Opificum vitia. 723.

CONTRA VIII. PRÆCEPTVM.

Mendacium. 724.

Sophistica. 725

Peruersum studium discendi, docendi, aut defendendi falsas opiniones, vel inutiles & non necessarias subtilitates vel argutias in omnibus doctrinis. 726.

Opinio. 727.

Suspicio. 728.

Errores. 729.

Obscuritas. 730.

Calumniæ forenses in accusationibus, testimonijs sententijs, iudicijs. 731.

Scandalum acceptum. 732.

Munera, quæ plerunque dantur, ad corrumpenda hominum iudicia. 733.

Perfidia in non seruandis promissis & fœderibus, ac promissis amicitijs. 734.

Periuria, & fraudes in contractibus. 735.

Consilia fraudulenta, quæ nocét vitæ, honori aut bonis obsequentium. 736.

Rumores, & falsa fama. 737.

Contumelia. 738.

Obtrectatio. 739.

Maledicentia, conuitiari, criminari. 740.

Exprobratio beneficiorum. 741.

Iactantia, φιλαυτία, ostentatio, gloriatio, laus propria. 742.

Vanitas. 743.

Fauor veritatem opprimens. 744.

Assentatio, adulatio. 745.

Veritas, quando prætexitur iniustitiæ, etiam est falsum testimonium. 746.

Fucus omnis, hypocrisis seu simulatio in moribus & gestibus. 747.

Ludificari. 748.

Huc pertinet hypocritica tolerantia cruciatuum sponte accersitorum. 749.

Somnia. 750.

Stulta crudelitas. 751.

Imprudentia. 752.

Inconstantia. 753.

Pertinacia in falsis opinionibus aut iniustis & inutilibus actionibus, etiamsi de errore, turpitudine aut inutilitate conuincitur. 754.

Academica ἐποχὴ. 755.

Infidelitas in fidendo. 756.

Tacitur-

Taciturnitas vitiosa: Dissimulatio eorum, qui tacent tunc quoq;, cum mandatum Dei præcipit confessionem, aut παῤῥησίαν in taxādis erroribus, idolis & aliis sceleribus. 757.

Infantia eloquentiæ contraria. 758.

Linguæ vitia. 759.

Garrulitas, seu loquacitas, futilitas, quæ nihil continere tacitum potest, sed omnia, etiam arcana, enunciat. 760.

Scurrilitas. 761.

Facetiæ, fabulæ. 762.

κακοζηλία, Affenwerck. 764.

Præstigiatores. 765.

Parasitica ars. 766.

Chiromantici, Zigeinerey. 767.

CONTRA IX. ET. X. præceptum.

Liuor, inuidentia, inuidia. 768.

Æmulatio. 769.

Concupiscentia personarum, & rerum alienarum. Appetitus, cupiditates, Amor. 770

Indulgere concupiscentiis, easq; ardentiores reddere meditando, contemplando obiecta. 771.

Fastidium rerum præsentium. 772.

Nouitas. 773.

Lædere. 774.

Ἀπάθεια discernēda ab appetitionibus conditis. 775.

Vitia

Vitia { Seruorum & Ancillarum. 776.
Dominorum, & dominarum. 777.

DE TENTATIONE, QVÆ SVNT concupiscentijs cognatæ.

Tentationes quotuplices. 778.
An Deus tentet. 779.
Deus inducit in tentationem, seu indurat corda. 780.
Resistendum esse tentationibus diabolicis. 781.
Non resistentes tentationibus, incidunt in omnis generis mala. 782.
De malo igitur deinceps agemus.
Malum quotuplex.
Malum culpæ. 783.
Malum nocentis materiæ. 784.
Malum pœnæ. 785.
Fatuitas, stultitia, excæcatio mentis. 786.
Obliuio. 787.
Insania, seu φρένησις, furor. 788.
Mala conscientia. 789.
Furijs agitari, dæmoniacum esse, obsideri à diabolo. 790.
Peccata, peccatorum pœnæ, mens reproba. 791.
Sensuum priuatio. 792.

Morbi

Morbi. 793.
Peſtis. 794.
Pediculi. 795.
Membra malè affecta. 796.
Sterilitas. 797.
Impotentia. 798.

EXTERNA MALA, DISTINGVVNtur ſecundum Elementa.

Serenitatis, ſeu ſplendoris ſolaris defectus. 799.
Siccitas, ſeu pluuiæ defectus. 800.
Frigus intenſum. 801.
Procellæ, tempeſtas. 802.
Fulmina. 803.
Grandines. 804.
Turbines. 805.
Incendia. 806.
Inundationes, ſeu diluuia. 807.
Suffocari in aquis, ſubmergi aquis. 808.
Locuſtæ, & alia inſecta frugibus noxia. 809.
Infelix frugum & fructuum prouentus. 810.
Fames. 811.
Sitis. 812.
Ruinæ. 813.
Lapſus corporis. 814.

Re-

Repentina vel ſubita mala. 815.
Dilacerationes à beſtiis vel feris. 816.
Ictus venenatarum beſtiarum. 817.
Tragici caſus. 818.
Supplicia. 819.
Conſolationes proponendæ ducendis ad ſupplicia. 820.
Bellorum calamitates. 821.
Clades, Strages. 822
Dauaſtationes, excidia. 823.
Mutationes rerum publicarum 824.
Mutationes rerum Eccleſiaſticarum. 825.
Exilium. 826.
Captiuitas. 927.
Facinoroſos in carcere quomodo alloquitur ſacerdos. 828.
Ignominia. 829. Infamia.
Hoſtes, aduerſarii. 830.

Amiſſiones & damna
- Donorum ſpiritualium. 731.
- Chariſſimorum hominũ. 832.
- Pecudum. 833.
- Iumentorum. 834.
- Bonorum. 835.

Inopia, paupertas, egeſtas. 836.
Infelicitas, ærumnæ, miſeria, calamitates. 837.
Infelix ſucceſſus vocationis, ſeu ſtudiorum. 838.
Repulſa, fruſtratio conſiliorum. 839.

Dege-

Degeneres liberi. 840.
Dolor. 841.
Triſtitia. 842.
Luctus, 843.
Lacrymæ. 844.
Curæ, ſolicitudo. 845.
Pauores, conſternationes. 846.
Metus. 847.
Crux. 848.
Qui ſunt cruci ſubiecti 849.
Diabolus quidem & mundus, in calamitatibus piorum inferendis & augendis non eſt otioſus. 850.
Sed ſine Dei permiſſione neq; Diabolus, neque mundus poteſt nocere. 851.
Deus itaque piis immittit crucem. 852.
Quæ cauſæ Deum impellunt, vt immittat crucem. 853.
Quo fine Deus crucem immittat. 854.
Conſolationes Ethnicæ, opponendæ calamitatibus in genere. 855.
Conſolationes in Euangelio patefactæ, quæ ſunt cruci in genere opponendæ. 856.
Liberationes miraculoſæ, ex variis ærumnis. 857.
Δοκιμασία. 858.
Perſecutiones piorum. 859.
Martyria, ſeu martyrum ſupplicia. 860.
An liceat fugere martyria. 861.

Ægro-

Ægrotis, quid ex verbo Dei opponendum 862.

Conſolationes proponendæ agentibus animam. 863.

Quomodo orandum circa agentes animam. 864.

Quomodo ſe quis præparabit ad felicem obitum. 865.

Mors quotuplex.

Mors ſpiritualis quid? 866.

Varia mortis ſpiritualis genera. 867.

Quibus ſit moriendum. Boni quoq; præueniuntur morte. 868.

Animam hominis non mori, ſed eſſe immortalem. 869.

Exequiæ, ſeu funeris ceremoniæ. 870.

An defunctis proſint bonorum officia. 871.

Sepultura, cæmiterium, Epitaphia. 872.

De non obdormituris, ſeu mutandis. 873.

Cauſa efficiens mortis ſpiritualis. 874.

Cauſa finalis mortis ſpiritualis. 875.

Obitus præſtantium hominum, quid portendat & ſecum ferat. 876.

De infantibus in materno vtero morientibus. 877.

De puerperis in partu morientibus. 878.

De infantibus natis quidem, ſed ante baptiſmum morientibus. 879.

Adhor-

Adhortatio ad patienter & piè ferendum obitum liberorum. 880. Parentum. 881. Coniugis. 882. fratrum & sororum. 883. Propinquorum. 884. amicorum. 885.

Eorum qui repentina morte, aut tragico casu interierunt. 886.

Hactenus post locos Theologicos, articulis Symboli accommodatos, bona opera & peccata, quæ etiam ad Ethicam pertinent, iuxta seriem præceptorum Decalogi recitata sunt, additis pœnis & consolationibus. Restat vt titulos locorum, qui reliquas Philosophiæ partes spectant, pertexamus.

Philosophia. 887.

Sectæ philosophorum. 888.

Peripathetica. 889.

Stoica. 890.

Epicuræa. 891.

Academica. 892.

Doctrina. 893.

Partes philosophiæ, scientiæ, disciplinæ. 894.

Grammatica. 895.

Orthographia.

Scripturæ Elegantia.

Etymologia.

Syntaxis.

Prosodia.

Pedes.

Metrorum genera.
Linguæ, linguarum genera. 896.
Linguarum interpretatio. 897.
DIALECTICA. 898.
Prædicabilia. 899.
Prædicamenta. 900.
Propositiones. 901.
κριτήρια certitudinis. 902.
Principia. 903.
Experientia. 904.
Patefactio diuina. 905.
Argumentationes. 906.
Loci personarum. 907.
Loci rerum, definitio &c. 908.
Testimonia, distinctio. 909.
Disputatio. 910.
Fallaciæ, sophismata. 911.
RHETORICA. 912.
Inuentio. 913.
Doctrinæ causarum. 914.
Dispositio, ordo. 915.
Phrasis. 916.
Elocutio, eloquentia. 917.
Sermo, oratio. 918.
Figuræ. 919.
Tropi. 920.
Ænigmata. 921.
Schemata. 922.

Amplificationes. 923.
Imitatio. 924.
Stylus. 925.
Memoria. 926.
Pronunciatio. 927.
Hiſtoria. 928.
Antiquitates. 929.
Genealogia virorum illuſtrium. 930.
Obſcuritas generis. 931.
Nationum & populorum origines, incrementa & mutationes. 932.
Poëtæ. 933.
Poëtica. 934.
Poëmatum genera. 935.
Comœdia. 936.
Tragœdia. 937.
ETHICA. 938.
Summum bonum. 939.
Virtus. 940.
Decretum. 941.
POLITICA. 942.
Ciuitas, ſocietas ciuilis, ſeu politica. 943.
Politiarum formæ. 944.
Democratia, popularitas. 945.
Anarchia. 946.
Ariſtocratia. 947.
χειροκρατία 948.
Oligarchia. 949.

Tyrannis. 950.
Turcicum Imperium. 951.
Potentia. 952.
Monarchia. 953.
Romanorum Imperium. 954.
Imperator. 955.
Cæsar. 956.
Rex. 957.
Regnum. 958.
Electores. 959.
Principes. 960.
Duces. 961.
Marchiones. 962.
Comites. 963.
Cancellarius. 964.
Consiliarij. 965.
Secretarij. 966.
Nobilitas, equestris ordo. 967.
Aula, aulica vita. 968.
Præfectus, seu Capitaneus. 969.
Quæstor. 970.
Consules. 971.
Senatus. 972.
Scriba ciuitatis. 973. Syndicus, Notarius.
Curia. 974.
Tribuni plebis. 975. Die auß der innern Gemein.
Ædiles, Die Bawherren. 976.
Respublica 977.

Iustitia distributiua seu magistratuum, ordinum & officiorum distributiones, in diuersis rebuspublicis. 978.
Causæ euersionis politiarum. 979.
Iurisprudentia. 980.
Lex, quid sit. 981.
Fines legum. 982.
Legum autoritas. 983.
Veteres leges non abolendæ. 984.
Ex scriptis legibus iudicandum. 985.
Ius gentium. 986.
Lex positiua. 987.
Consuetudo, mos, mores. 988.
Iura, leges, statuta, consuetudines variarum gentium. 989.
Obedientia erga leges. 990.
Plebs, vulgus, populus. 991.
Seditio. 992.
Inobedientia erga leges. 993.
Iudicia. 994.
Iudicum officia. 995.
Actor. 996.
Reus. 997.
Cliens. 998.
Patronus. 999.
Oratores. 1000.
Rabulæ forenses. 1001.
Iustitia distributiua pœnarum, pœnæ flagitiorum. 1002.

Relatio, lex talionis. 1003.
Lictor. 1004.
Carnifex. 1005.
Suppliciorum varia genera. 1006.
Loca suppliciorum. 1007.
Bellum. 1008.
Fortitudo bellica. 1009.
Militarium officiorum in bello distinctiones. 1010.
Rei militaris peritia & disciplina. 1011.
Militum officia. 1012.
Militum vitia. 1013.
Exercituum descriptiones. 1014.
Castra. 1015.
Stratagemata. 1016.
Arma. 1017.
Machinæ bellicæ. 1018.
Munitiones. 1019.
Obsidiones. 1020.
Induciæ. 1021.
Incerti euentus bellorum. 1022.
Oppugnationes. 1023.
Expugnationes. 1024.
Victoria. 1025.
Fœdus. 1026.
Pax. 1027.
Oeconomia. 1028.
Mathematica. 1029.
Arithmetica. 1030.

Numerus. 1031.
Assis partes. 1032.
Numismata. 1033. Moneta, pecunia.
Geometria. 1034.
Linea & longitudo. 1035.
Breuitas. 1036.
Latitudo. 1037.
Superficies. 1038.
Profunditas. 1039.
Locus, corpus. 1040. 1041.
Proportio. 1042.
Musica. 1043.
Astronomia. 1044.
Cœlum. 1045.
Stellæ fixæ, earumque ortus, occasus, magnitudines, vires, motus. 1046.
Planetæ, Saturnus, Iupiter, Mars, Venus, Mercurius. 1047.
Sol & Luna } 1048.
Dies. 1049.
Horæ. 1050.
Annus. 1051.
Tempus. 1052.
Mensis. 1053.
Eclipsis solis. 1054.
Eclipsis Lunæ. 1055.
Geographia. 1056.
Astrologia. 1057.

Medicina, & Medici. 1058.
Anatomia, partes humani corporis. 1059.
Chirurgi. 1060.
Diæta. 1061.
Remedia. 1062.
Valetudo, eiusq; conseruandæ præcepta. 1063.
Physica. 1064.
Mundus. 1065.
Natura. 1066.
Fatum, voluntas Dei arcana. 1067.
Necessitas. 1068.
Contingentia. 1069.
Arbitrij seu voluntatis hominis libertas. 1070.
Fortunæ. 1071.
Casus. 1072.
Euentus. 1073.
Prodigia. 1074.
Monstra. 1075.
Elementa. 1076.
Ignis. 1077.
Aër. 1078.
Aqua. 1079.
Terra. 1080.
Qualitates primæ
Calor.
Frigiditas.
Humor.
Siccitas. } 1081. 1082.

Qualitas

Qualitates secundæ. 1083.
Mixtio. 1084.
Alteratio. 1085.
Generatio. 1086.
Coctionum species. 1087.
Putrefactio. 1088.
Meteora. 1089.
Cometæ. 1090.
Serenitas. 1091.
Venti. 1092.
Pluuiæ. 1093.
Ros. 1094.
Mare. 1095.
Sol. 1096.
Fontes. 1097.
Flumina. 1098.
Metalla. 1099.
Aurum. 1100.
Argentum. 1101.
Lapides. 1102.
Gemmæ. 1103.
Plantæ. 1104.
Partes plantarum. 1105
Arbores. 1106.
Pomaria. 1107.
Ligna. 1108.
Syluæ. 1109.
Fructus. 1110.
Herbæ. 1111.

Horti. 1112.
Flores. 1113.
Fructus. 1114.
Fruges. 1115.
Frumentum. 1116. Annona.
Ciborum varia genera. 1117.
Panum differentiæ, & appellationes. 1118.
Legumina. 1119.
Potus genera. 1120.
Vineæ, vites. 1121.
Vinum. 1122.
Cereuisiæ. 1123.
Lac. 1124.
Caseus. 1125.
Butyrum. 1126.
Mel. 1127.
Oleum. 1128.
Caro. 1129.
Animalia. 1130.

Animalium quorundam naturæ, & virtutum simulacra, diuinitus eis impressa, vt nos ad virtutem inuitarent & dehortarentur à vitijs. 1131. 1132.

Aues. 1133.
Pisces. 1134.
Insecta. 1135.
Apes, pecudes. 1136. 1137.
Iumenta. 1138.

Feræ. 1139.
Vermes, reptilia. 1140.
Serpentes. 1141.
Homo. 1142.
Potentiæ animæ. 1143.
Vegetatiua. 1144.
Sensitiua. 1145.
Visus. 1146.
Colores. 1147.
Pulcritudo. 1148.
Deformitas. 1149.
Lux. 1150.
Tenebræ. 1151.
Auditus. 1152.
Soni, vox. 1153.
Olfactus. 1154. Odores. 1155.
Gustus. 1156. Sapores. 1157.
Tactus. 1158.
Sensus communis. 1159.
Phantasia. 1160.
Somnus. 1161.
Somnia. 1162.
Appetitiua potentia. 1163.
Affectus. 1164.
Animus. 1165.
Locomotiua. 1166.
Metus. 1167.
Quies. 1168.
Iter, via. 1169.

Peregrinatio. 1170.
Legati, nuncius. 1171.
Mens humana, ratio, intellectus. 1172.
Ingenium, indoles. 1173.
Artes Mechanicæ. 1174.
Artifices insignes. 1175.
Opificia. 1176.
Architectonica. 1177.
Ædificia, & eorum partes. 1178.
Pingendi ars. 1179.
Statuaria. 1180.
Texendi ars. 1181.
Sagittandi ars. 1182.
Venatoria. 1183.
Naues, nauium partes. 1184.
Nauigatio. 1185.
Naufragium. 1186.
Agricultura. 1187.
Aurigæ. 1188.

FINIS.